HISTORICÆ HODIERNÆ MEDICINÆ RATIONALIS VERITATIS


ΛΟΓΟΣ ΠΡΟΤΡΕΠΤΙΚΟΣ.

 AD

RATIONALES MEDICOS.

authore M. C. Bouvard D. M. P. et regis Ludovici XIII medico Primario.







1ers médecins
sous Louis XIII et Louis XIV.

Herouard — 1610 à 1627
Bouvard — 1627 à 1643
Cousinot — 1643 à 1646
Vautier — 1646 à 1652
Vallot. — 1652 à 1671
Daquin. — 1671 à 1693
Fagon. — 1693 à 1715.





HISTORICÆ HODIERNÆ MEDICINÆ RATIONALIS VERITATIS.



ARGVMENTVM.

CAVSÆ Medicinæ Rationalis despectæ, sanitatis & vitæ hominum destructæ, ab Hippocrate ascriptæ ignorantiæ falsorum Medicorum, & iudicum politicorum, per causas & per effectus hic examinantur, iisque remedia à Lud. XIII. Rege Iusto propria assignantur, per diploma Regium Medicæ iurisdictionis ordini medicorum rationalium concessum, & ad Senatum, + Supremum delatum, vt authoritate sua, postquàm à facultate recognitum & retextum fuerit, proclametur, & læsæ hominum sanitatis & vitæ Regum, Principum, Summorum virorum & hominum omnium securitati, ipsiusque Medicinæ rationalis calamitatibus medela sua propria adhibeatur.



ORDO RERVM QVÆ HIC tractantur.

DE Medicina & Medicis vſque ad pag. 90. in genere.
De miniſtris in genere vſque ad pag. 135.
De politicis in genere vſque ad pag. 210.
Medicinæ rationalis origo & virtus ſupra naturam declaratur in particulari ab initio vſque ad pag. 8.
Vtriuſque magiſter & miniſter rationalis Medicus, ſolus peritus & bonus ſemper eſt ad bonum, quivis vero falſus malorum artis & ægrorum ſemper author eſt ſolus. Ars verò neutiquam vſque ad pag. 15.
Medicinæ rationalis defectio poſt Hippocratem & Galenum per ignorantiam errores & vitia falſorum medicorum vſque ad pag. 21.
Medicinæ corruptio in doctrina & diſciplinæ deprauatio per Medicos ex Arabia poſtliminiò reuerſos, & facultatum, Regum & Pontificum deceptio per eoſdem vſque ad pag. 25.
Medicinæ profeſſionis corruptæ fons & principium prauorum ſtatutorum, ex demiſſione chirurgiæ & pharmaciæ manuariæ methodicæ & theoricæ in manibus miniſtrorum ortum vſque ad pag. 40.
Exindè medici præter iſtos arabiſtas & miniſtros (quos ſibi æquales fecerunt) exorti ſunt Semidogmatici innumeri & empirici vſque ad pag. 67.
Excurſus in falſos hoſce medicos ſpoliatos ſuis operationibus chirurgicis & pharmaceuticis vt milites ſuis armis contra Hippocratis & veterum morem vſque ad pag. 82.
Arti minùs iniurioſos eſſe Empiricos quàm Semidogmaticos & Arabiſtas declaratur vſque ad pag. 90.
Miniſtrorum chirurgorum iuratorum vitia, vſque ad pag. 160. Barbitonſorum vſque ad pag. 114. pharmacopœorum vſque ad pag. 128. Aromatariorum vſque ad pag. 140. Obſtetricum vſque ad pag. 133. Clinicorum vſque ad pag. 135.
Contra politicorum vitia & maleficia ex ſuis prauis rerum &

personarum in professione medica iudiciis, testimonia antiquorum & recentiorum vsque ad pag. 147. Quæ vidimus nostris temporibus vsque ad pag. 156. Vitia politicorum ad aulicos transiisse & esse communia vsque ad pag. 160, eos aduersari omnium ordinum regulis quibus sunt cuique professioni & arti sui proprij artis iudices vsque ad p. 172
Respondent Politici & aulici omnes homines in prauis iudiciis de rebus & personis medicis esse sibi similes & accusandos ad pag. 174.
Regulæ & circonstantiæ quibus iudices recti & æqui ab ignaris & iniquis distinguantur, exempla quorumdam præsulum qui benè de rebus & personis medicis iudicauerunt vsque ad pag. 178.
Antiquæ obiectiones politicorum tempore Hippocratis & responsiones vsque ad pag. 183.
Sex nouæ obiectiones posteriorum politicorum & responsiones, per distinctiones causarum quibus politicorum & aulicorum praua iudicia demonstrantur, quique à suis stant partibus & qui non, vsque ad p. 213.
In particulari, primæ satisfit quâ Empiricam artem fuisse primam dicunt & fecisse artem rationalem vsque ad pag. 185. Secundæ etiam qua per empiricam sanari deploratos à rationali dicunt, vsque ad pag. 181. Tertiæ quâ dicunt empiricam esse parentem rationalis & versari circa particularia respondetur vsque ad p. 194. Quartæ quâ dicunt in: empestiuum nunc esse inueterata vitia referre quæ præscripta sunt responsio vsque ad pag. 203. Quintæ quâ dicunt legislatores velle politicos habere curam publicæ ciuium sanitatis. Responsio vsque ad pag. 207. Sextæ quâ dicunt medicos rationales assiduè inter se dissentire & altercari, responsio vsque ad p. 209.
Obiiciunt politici, si culpa sint & pœna digni, etiam facultates medicas, synedria Pontificia & Senatorios atque consistorianos consessus ignaros rerum medicarum pariter secum damnari respondent facultates Reges & Pontifices vsque ad pag. 226. Respondent supremi Magistratus vsque ad pag. 235.
Cùm solæ supersint duæ causæ damnatæ ab Hippocrate, falsi medici & politici inferiores, politici reiiciunt sua crimina in

medicos etiam rationales vſque ad pa 4. 241.
Medici Rationales Pariſini aliquot egregij iſtis moti reſcribunt ad P. M. collegam B, vt ageret in aula quod ipſi in ſchola & in Senatu: Quid egerit cum D. Mariliaco Procancellario & apud Regem & apud Emin. Card. Richel. vſque ad p. 135.
Poſt exilium D. Mariliaci ab aula, quid P. M. egerit cum illuſtriſſimo D. Cancellario Seguiero vſque ad pag. 159.
Quid Medici Pariſ. egerint & cur tardauerint ex ſe quidpiam agere cauſæ redduntur vſque ad p. 265.
Medici diuerſas in partes trahuntur, ſanior tamen præualet, ſed ſemper cunctatur quod occaſionem dat politicis criminis in medicos reiiciendi à quo ſe excuſare nullo modo poſſunt vſque ad p. 196.
Tandem ſimul vniti rumpunt moras & ſine metu à ſupremis poteſtatibus confidenter pro bono publico remedium malorum profeſſionis, quod ſolum in regia iuriſdictione medica à Lud. Rege XIII. iuſto poſitum eſt, ne longiorum morarum pœnas luant repoſcere coguntur vſque ad finem.



HIPPOCRATIS LEX.

ΙΗτρικὴ, τεχνέων μὲν πασέων ἐστὶν ἐπιφανεστάτη. Διὰ δὲ ἀμαθίην τῶν τε χρεομένων αὐτῇ, καὶ τῶν τοὺς τοιούσδε κρινόντων πολὺ τι πασέων ἤδη τῶν τεχνέων ἀπολείπεται.

Medicina omnium artium Eminentissima est, attamen propter ignorantiam eorum qui eam exercent, & eorum qui de iis temerè iudicant omnibus artibus iam longè inferior habetur.





HISTORICA HODIERNÆ MEDICINÆ RATIONALIS VERITAS.

NOTVM ex Hippocrate, Medicinam rationalem artium omnium præſtantiſſimam cæteris aliis poſtponi, propter ignorantiam falſorum Medicorum, qui ea abutuntur, eamque infamant; atque etiam propter Politicorum inſcitiam, qui de rebus, perſonis, actionibus & operibus Medicis temerè iudicant.

Eos aſſimilari ſcenicis perſonis, quæ in theatris figuram, habitum & ſpeciem eorum referunt, quorum perſonas gerunt, cum tamen perſonæ ſint fictæ & ſimulatæ, ſeu hypocritæ. Sic in Medicina eſſe multos Medicos & Politicos ſolo nomine, re verò & opere perpaucos.

Eumdem Hippocratem aſſignauiſſe duplicem in arte legem, alteram ſcientiæ, quæ ſcire vera, & face-

re recta & iusta demonstrat; alteram ignorantiæ, quæ nihil scire, sed errare & male facere impellit. Priorem afferre animi confidentiam & tranquillitatem: posteriorem verò arguere animi timiditatem & impotentiam, etiamque timiditatem parere & audaciã: tamque malum esse thesaurum ὄναρ καὶ ὕπνος, vt innumera mala secum trahat in hac professione: Quorum pręcipuum hoc est, quod ignari rerum & personarum Medicarum Politici ignaros multos artis Medicos sibi similes recipiunt & nullo discrimine admittunt in vrbes, nullis suorum criminum pœnis aliis assignatis quam infamiæ, quâ sibi connatâ & familiari non afficiuntur, nec à maleficiis malè medendi & iudicandi deterrentur, sed semper praua & temeraria succedunt in professione medica exercitia & iudicia: quæ viginti ab hinc sæculis, cum summa calamitatum innumerarum deploratione, ad hæc vsque tempora perseuerauerunt.

Hæc etenim nec scientiæ & legi rationali, nec peritis & probis eius Magistris & Iudicibus accepta referri possunt.

Repugnat siquidem, ab arte proficisci rationali, quam Deus speciali beneficio salutarem constituit in sacris paginis medelam vnicam, veram, certam & rectam ad corrigendos errores ignorantiæ in medendo & iudicando, ἄκος ad ἄχος malorum Medicinæ, solatium ad damna & supplicia, oleum ad scorpionum morsus & afflictiones morborum.

Cum Hippocrates ipse scripserit omnia in hac scientia rationali esse tam bene & rectè, nec fortuitò, inuẽta & ordinata ad tuendam sanitatem & vitam, & vtrãque diu & fœliciter traducendam, vt repugnet esse vllius erroris falsitatis, vitij & maleficij causam, cum non sit aliunde quàm à Deo profecta.

Repugnat Hippocratem ab omnibus creditum diuinum, ſic nominatum à ſummis Iuriſconſultis; ſic vocatum rectam rationem à Platone; Medicinam rationalem, quam habebat in ſacrario ſuo, velut palladium & panaceam reconditam & depoſitam, totam diuinam, voluiſſe facere publicam, & per vniuerſum orbem eſſe diffuſam, niſi vt vnica ſalutaris agnoſceretur, & ab omnibus per cauſas, & per effectus probata, gratiſſima & acceptiſſima auidiſſimè reciperetur, & Empirica, qua mortales cumulatiſſimè de vita rapiebantur, per errores & damna ſua momento, vt contigit, ſuffocaretur.

Etenim poſtquam Hippocrates ſuam artem ſuoſq; liberos & diſcipulos, eruditione & peritia medendi ſibi ſimillimos, numeris omnibus abſolutos per vniuerſam Græciam tranſmiſit, rationalis hæc Medicina ad tantum honorem & gloriam euecta eſt, & Hippocrates ad tantam ſui nominis celebritatem peruenit, vt non modò popularium ſuorum, ſed Græcorum omnium & remotiorum gentium amorem & admirationem ſibi comparauerit. Græcia enim eum veluti Deum ſacris honoribus dignum iudicauit, ipſiuſque rumor & fama toto orbe ſparſa, Artaxerxem Regem ſummum Perſarum, poſſem dicere terrarum, ita commouit, vt propoſitis per literas ingentibus præmiis & ſummis honoribus Hippocratem ad ſe conuocauerit. Tritum enim in ore erat, omnibuſque paſſim exploratum, rariſſimos & pauciſſimos eripi quos curaret, omnes penè à morbis liberari.

Cum ergo per Rationalem hanc ſanitatis conſeruatio & morborum ſolutio fiat, per ignorantiam empiricam læſio ſanitatis & vitæ interitus accedat neceſſe eſt vt quod in vna verum eſt, ſit falſum in altera: & quod in Rationali ſalutiferum & religioſum, in altera

ſit mortiferum & execrandum.

Non eſt quod quis ſibi pugnare Hippocratẽ dicat, apud quem legerit, Naturã eſſe morborũ medicatricẽ, & audiat nũc rationalem Medicinam eſſe ſalutis & vitæ tutricem & curatricẽ; mireturq; adhuc magis, ſi audiat, artem eſſe naturæ ipſius & materiæ ſuæ moderatricem & magiſtram potiorem & potentiorem, cùm natura ſine artis rationalis concurſu auxilioque fideli & opportuno, vix quidpiam vtile, certum, & ſalutare ſuſcipere queat & perficere: quin potius ipſa ſe ipſam in magna pericula & damna grauiſſima ſanitatis & vitæ coniiciat, niſi arte, ratione, cauſarum notitia, id eſt iudicio & peritia longo vſu quęſita regatur; cum ſit Natura conſilij & rationis expers, inſtinctu ſolo animali impulſa; materiæ orgaſmis, excurſionibus & vitiis ſubiecta; erroribus propriis innumeris obnoxia; ad quorum caſtigationes rationalis hęc Medicina comparata eſt. De quibus ne quis dubitet, ſciat oportet, materiam naturæ ipſius aſſiduam comitem, mutationum & nouitatum ſemper auidam & ſummæ malignitatis participem, velut laſciuam meretricem, indeſinenter naturam prouocare, ſtimulare & ſollicitare ad pręuarications, & turpitudines, & ſæpius vrgere in vitæ inſidias & præſentis interitus diſcrimina, hoſtiliter incurrere ſępius in fauces, in caput, in cor & in vitæ principia, etiamque repente vitam ſæpiſſime adimere.

Niſi ergo eſſet ars, quæ velut matrona fortis, ſapiens & prouida iſtius materiæ procaces inſultus reprimeret, eiuſque furores velut habenis frænaret & coërceret, impendentia pericula pręuideret & prænunciaret, futuris malis tempeſtiuè occurreret, & inſtantia aut præſentia prudenter anteuerteret & euerteret, materiæ internam malignitatem putredinis,

profundiùs insitam & inhęrentem ac prouectam euē-tilaret, interciperet & domaret insolescentem & ferocientem, aut indomitam eliminaret, exhauriret & euacuaret: sicque dolos eius & insidias pręuideret & eluderet, certissimè naturam pessumdaret. Quanquam verò natura firmam nacta esset à suis principiis sanitatem, quod rarum est; quia tamen nullo lumine rationis, iudicij & notitiæ cietur, sed omni claritate veritatis & iustitiæ, omnique externo & interno sensu, iudicio, mente destituitur, omnibus ad vitam inculpatè degendam necessariis priuata, statim deficeret, & insolito ad causarum internarum & externarum, sæpe contrariarum, incursu & occursu periret, si ratione artis & causarum perspicientia, in omnibus suis actionibus non adiuuaretur & dirigeretur. Puta si peruersos parturientium enixus non reduceret, si fœtus inualidos & naturam deiectam non reficeret, si fœtā & fœtum penè exanimes non reuiuificaret, secundinas non educeret, non exscinderet, non colligaret, papillas infanti non admoueret, sordes & lotia non tergeret, linteis & integumentis non inuolueret & muniret, fasciis non contineret, præsentia innumera tenellulæ ętati insidiosa damna non vitaret, quæuis propugnacula quæreret & excogitaret. Si attētè nō prouideret, ne natura grauata, oppressa, suffōcata occumberet, ne indigentia aut prauitate lactis aut alterius alimoniæ, aut aëris inclementia, aut punctione, ardore, frigore, sordibus, erosione, arctioribus vinculis, torsionibus & aliis causis leuissimis periret. Ars est, quæ præsentia bona suppeditat, & anteuertit nocitura, quæ naturam impediant & remorentur, ne ad extremum finem vitam fœliciter perducat.

Ars est, quæ multò plura quam quæ sunt in ipsa

natura inuenit, quæque in vniuersum maiora & præstantiora innumera facit, quæ natura præstare nunquam possit; ędes exstruit, templa, domicilia, quæ architectari natura non posset. Sic sanitatem tuetur ars, & læsam ac deperditam ægris restituit, quam natura nunquam sola repararet. Quorsum ars tot ac tantis hominum vigiliis constituta esset (inquit noster Fernelius) nisi maius & excellentius quidpiam quam natura posset perficere? Nimirum quia natura instinctu solo, sæpiùs noxio quam salutari modo: Medicina verò rerum ducta cognitione & intelligentia semper rectis & salutaribus vtitur præsidiis.

An non ars sola dehiscentia vulnerum labra retrahit, consociat, continet, adunat? vlcera terget, incarnat, replet, agglutinat, abscessus intercipit, auocat, euocat, euaporat, purulentias procurat, resoluit, aperit? Inflammationes anticipat? corruptiones putredinis impedit? febres extinguit, earum pabula subtrahit? fracta, luxata reponit, dirigit, consolidat, continet?

Naturam praua conformatione & constitutione sua infirmam, mutilam, imperfectam confirmat, complet, perficit & ad regulam meliorem recuruat? fortiorem & validiorem reddit? grauatam exonerat? oppressam leuat? oppletam nimisque saginatam exinanit, & liberat? strangulatam soluit? punctam, tensam, erosam vindicat, emollit, lenit? colliquatam, consumptam, confectam renutrit, & reficit? exolutam & deficientem reparat? deploratam & quasi mortuam resuscitat & reuiuificat?

Quis non videt naturam sibimet ipsi nouercam esse, & quandoque pestem exitialem? pene semper noxia sibi quærere & aduersa affectare? contraria efflagitare, salutaria fugere & damnare, & probare ac

preferre fatalia? Se falsò debilem, infirmam & deficientem prædicare, cum validissima est? se iudicare exhaustam & exinanitam, cum plenissimè saginata est & repleta? emori sibi persuadere, cum robustissima est? se euacuari nimium, cùm adhuc oppressa est plenitudine? incertam, ignaram, cæcam, consiliis, auxiliis, præsidiis & remediis omnibus repugnare, & aduersari, cum iis potius & citius indiget? Ideoque necesse est, peritos Medicos eosque probos amicos, oculos habere vtrosque semper in eã & in materiam comitem defixos, vt intra rectos terminos moderationis & regulæ eas contineant, ne in alterutram partem defectus vel excessus exorbitent & deflectant, vt vtramque sępe fustigent & castigent, præsentia mala auferant, futura præuideant & præoccupent, impendentia arceant, externa vitent & eludant, interna moderentur & componant? & semper pro natura contra materiam, & non rarò contra naturam pro ipsamet pugnent? Licet enim naturam dixerit summus medendi magister Hippocrates primariam esse curationum opificem, nemo tamen non videt, eam sæpissimè sibimet esse malorum, morborum & mortis causam per suas ignorantias & errores præcipuam, & ad naturæ & materiæ vitia & maleficia corrigenda & cauenda artem rationalem esse comparatam à Deo, & constitutam legem, regulam, lucem vnicam salutis conseruandæ, morborum inculpatè & innoxiè curandorum, & vitæ diuturnitatis producendæ; nempe scientiam rerum naturalium, non naturalium & contra naturam (quas vocant;) affectionum, partium, causarum, signorum, mediorum seu remediorum, quæ conferunt ad finem, finium optimum, sanitatem, consequendam, verè dignoscendi, certò prædicendi, rectè curandi, & diu ac fœliciter viuendi. Sine qua na-

tura statim ab ortu occumberet, aut ærumnosam & miseram ac sæpissimè breuem vitam duceret, aut momentaneam consequeretur.

De qua lege scientiæ rationalis dicere possumus (parcat Dominus eius artis author & largitor, si quod de lege gratiæ retulit Apostolus, conferam) Si quis ignarus, iners, impius, iniquus, imperitus & insanus, impostor & arcanorum buccinator aliam prædicet & producat, anathema sit, qui ad perditionem hominum ab inferis prodiisse censeatur & prædicetur.

Licet autem diuina tota sit & salutaris, regula vera, certa, recta, & iusta bene docendi, dignoscendi, prædicendi, medendi, operandi & iudicandi. Intellige tamen, modò à sapienti & prudenti Medico vtraque ars & natura dirigatur. Est enim vtraque indifferens & indeterminata, à solo vero Medico determinanda ad bonum sanitatis & vitæ, à falso tam Medico quàm Iudice ad mala morborum & mortis.

Bonum autem tuendæ sanitatis & vitæ, morborum curandorum, & iudicandarum rerum & personarum medicarum licet vnicum sit, vnica regula: debent tamen ad illud obtinendum concurrere multa vt sit integrum & perfectum; quorum si vel vnicum desit, sufficit ad malum producendum.

Medicum rerum generalium omnium quæ sunt materiæ & rei medicæ, notitia & scientia, & particularium quæ penè sunt infinita præditum esse oportet. Insuper ratione, iudicio & ingenio valere, hoc est communia & particularia quàm poterit accuratissimè percipere, naturas, causas, sanitates, morbos, symptomata, corpora, partes, remedia & reliqua communia, per quæ ad particularia, quæ sunt sola curabilia & curantia deducatur, vt his illa conuenienter propria accommodet & adiudicet, vt sint salutaria & iusta, obseruatis

obſeruatis omnibus circumſtantiis. Quorum omnium ſi vnum deficit, omnia deficiunt, & malum pro bono, morbus pro ſanitate, mors pro vita ſubſequitur, aut noxa calamitoſa.

Caue credas ſufficere generalia, nempe ſcientiam ex ſcholis, & antiquorum monumentis depromere; valent dumtaxat vt deducant ad inueſtiganda particularia apud ſingulos ægros varia, quæ ſua expoſtulant ſibi propria, diſtincta & definita, ſcholis & libris ignota.

Si in vſum ſola veniant generalia indefinita, indiſtincta, indeterminata, confuſa; incerta ſuccedent omnia, fallacia, periculoſa & noxia, quæ ſola diſtinguunt, determinant & definiunt particularia: quæ ſunt ad vnum numero indiuiduum, cum diuiſione cognitum, perducta, vt ſint inculpata, innoxia, vera, certa, recta, ſecura & ſalutaria, ſola remedia & iuſta iudicia.

Summa tantùm ſequi rerum faſtigia & vniuerſales ideas, in ſummis tantùm montium iugis conſiſtere & contemplari, iura diſtribuere ſecundum generales in iure definitiones, & ſumma tantum luſtrare genera, quid aliud eſt quam cõmuni formula nutriri, veſtiri, calceari, loqui, dicere, facere, diuagari? hoc eſt in particulari fallere & perdere, iura omnia ſubuertere, & à veritate, quæ in profundo rerum particularium iacet & latitat, recedere? Exempli gratia, in adminiſtrandis regnis, in gubernandis prouinciis & ciuitatibus, in conſcientiis dirigendis, in iuſtitia diſtribuenda; ab æquitate, certitudine & probitate auocari. An non idipſum eſt in ſanitate tuenda & curandis morbis fallere & falli?

Quod tanto religioſiùs cauendum eſt in Medicina, quanto ſubiecta, fines & media atque remedia ſunt

potiora, præſtantiora & pretioſiora. An ad alium finem ſunt inſtituta Concilia, Capitula, Synodi, Comitia, Ἐφορεῖαι rerum regiarum, publicarum, ciuilium, tributorum, beneficiorum, rationum fiſci, capitalium, monetarum, quæ tanta multitudine conflantur & componuntur concurrentium, quàm vt veritas, quæ eſt in ſingulis tam abſcondita, à permultis inueſtigetur, & tandem in apertum detecta proferatur? Quidni etiam id in profeſſione Medica, vt à notitia vulgi remotior ἰδιοσυγκρασίας veritas reperiatur, & diligentius obſeruetur?

Philoſophi quidam cauſarum triplicem ordinem conſtituunt; ſupremarum, mediarum & infimarum. Supremas ſeu vniuerſales dicunt eſſe vulgo notas, medias Philoſophis, infimas quæ ſunt particulares, ſoli Deo. At in Medicina homo in genere non curatur, ſed Socrates in particulari. Cumque ſint ἰδιότητες particulares ἄῤῥητοι, & ſoli notæ Apollini, (inquit Galenus, ſecutus magiſtrum Hippocratem:) quas ſi accuratè aſſequi cognitione demonſtratiua poſſet, ſe Deo ſimilem eſſe exiſtimaret. Ad eas tamen accedere Medicos veros par & æquum eſſe dixerunt, quos ob id ἰσοθέους vocitant, longè aliis hominibus anteponendos, quia ſuorum ægrorum, naturarum, partium, cauſarum, morborum, remediorum & aliarum in arte rerum, perſonarum, operationum, particularium notitiam habere debent in numerato, definitè cognitam & perſpectam, vt exactè & tutò curent præſentia, verè præſagiant ventura, & certè ac rectè ſine errore mente & manu operentur, remediis propriis quarto modo repertis, ſemper ſalutaribus, quæ ſint cuique ſingulari cauſæ iuſta proportione, tempore, quantitate, qualitate & modo determinata. Quæ ſola vera ſunt rationalis artis ſpecifica antidota & arcana

propria, à solis legitimis & consummatis Medicis, sapientibus & peritis in arte sua (qui, vt de Hippocrate dictum est, nec fallere, nec falli possunt) inuenta: non vt ab hominibus, sed vt à Medicis, vno Ioue in hac arte & parte, minoribus: à quibus tantum absunt reliqui homines, etiam summi Pontifices, Reges & Potestates, quantum ab ipsis plebeij.

Sed non satis est Medicum esse solùm in arte vniuersali & particulari vndequaque bene instructum & informatum: sed etiam oportet marte suo, hoc est ingenio, iudicio, natura, exercitio & aliis conditionibus, quas expresserunt Hippocrates & Galenus, esse donatum & conformatum.

Primum quidem disciplinis ad Medicinam præparantibus, logicis, physicis, mathematicis & moralibus excultum & informatum, humanioribus etiam studiis, maximè in linguæ græcæ & latinæ vsu exercitatum: summo insuper desiderio & voluntate addiscendæ artis & ad publicam salutem exercendæ potius, quàm ad rem priuatam faciendam impulsum. Quinetiam validum corpore & firmum esse, fortunæ bonis non destitutum, quibus ad artem adipiscendam & ad eam honestè faciendam iuuetur. Per quæ tria patere aditum Medico ad artis mysteria Galenus notauit, priusquam alias sex conditiones ab Hippocrate designatas consequatur.

Prima est naturæ propensio innata & dispositio, velut agri, cuius propriam naturam & virtutem prudens nouit agricola, an suæ sementi sit apta concipiendæ, φύσις.

------ non omnis fert omnia tellus.

Hic segetes, illic veniunt fœliciùs vuæ.

Sic non sunt omnes ad Medicinam bene à natura comparati, in qua, vt in aliis professionibus, natura

duce & propitia, omnia probè ſuccedunt: ea verò repugnante inania ſunt omnia. Naturam autem Galenus in ingenio & iudicio, in ἀγχινοίᾳ conſtituit, ad excogitandum & iudicandum ea quæ ſunt idonea: fruſtra enim ad artem accedit (inquit) qui non ſit ἀγχίνους.

διδασκαλία. Secunda eſt doctrina ſementis veræ & puræ, quale eſt frumentum à quauis impuritate repurgatum, probè nutritum, vt terræ mandetur. Talis eſt vnica Hippocratis & Galeni antiquitate, veritate, certitudine, rectitudine, ſalutaris doctrina: alia verò quæuis falſa eſt, & mortifera.

τόπος εὐφυής. Tertia eſt locus bene apparatus ad doctrinam capeſſendam & alendam, velut aër ambiens, ad ſegetum germinationem & incrementum, clemens & benignus. Vt enim locorum omnium non eſt par & æqualis temperies, quæ faciat lætas ſegetes. Sic docentium & demonſtrantium non eſt vbique par induſtria & copia. Scholæ multæ falſæ & mutæ: paucæ Coæ, genuinæ, quæ vera reddant oracula.

παιδομαθίη. Quarta eſt inſtitutio à pueritia, velut ſementis primo ſuo tempore opportuno proiecta, vt altioribus & firmioribus ſtabiliatur & firmetur radicibus, & terræ magis ſocietur, ab iniuriis aëris inclementioribus muniatur, & ſuo tempore maturiùs perficiatur & colligatur. Sic Medicorum filij cæteris præponuntur, qui cum lacte à parentibus Medicinæ documenta & exercitia ſuxerũt: particularia autem artis quę in ſenſus cadunt tenella facilè diſcit ętas, nempe diſſectionum, medicamentorum, inſtrumentorum & operationum: quæ in ſuum ſuccum tunc conuertit, cum altiora & ſublimiora ſcientiæ & ſpeculationis nondum exciperet, ſed tantùm quum grandior facta & prouectior: tunc enim citiùs, faciliùs, & iucundiùs capit, & ad vſum conuertit.

Quinta eſt labor aſſiduus in generalibus ſtudijs & particularibus, notitia, eruditio & peritia naturarum hominum quorumcũque; ſanorum & ægrorum, cauſarum, rerum, actionum, operum, ſcholarum, remediorum, perſonarum, Medicorum, miniſtrorum, aſſidentium, locorum, temporum, terrarum & circumſtantiarum eſſentialium ad benè medendum & iudicandum. φιλοπονία.

Medicus enim centum fronte oculis, centum ceruice indiget ad pręſentia perſpicienda, præterita recolenda, & futura præuidenda & prædicenda; & centum manibus ad diurna nocturnaque diætetica, chirurgica, pharmaceutica & clinica quæque operanda: vt ea quæ debet ægrotantibus officia & beneficia conferat, & ſingula quæque ad momenta opportunitatum, ad ſtateram ſalutariter adimpleat; haud aliter quam ſolers & prouidus agricola circa ſuos agros, vt culturæ ſuæ centeſimam vſuram recipiat.

Sexta demum eſt tempus longiſſimum præparantium ſtudiorum & omnium Medicinæ partium percipiendarum, & miniſtrantium ſeu inferiorum Medicinæ artium comparandarum, omnium promotionum, actuum, interrogationum, diſceptationum & exercitiorum ſuſtinendorum ad inſtruendum animum in generalibus, ad formandum iudicium, & ad vſum bene dignoſcendi, pręedicendi, iudicandi, operandi, comparandum in particularibus. χρόνος.

Ecquis enim leui pede tot ſtudia percurrerit, vt ſit abunde ſufficiens & peritus artem tam longam breuibus ſpatiis emetiri? tam varias artes & ſcientias, tam diuerſas naturas, generales & particulares compendiis famelicis & macilentis concludere? tantam πολυμάθιαν, ἀγχίνοιαν & maturitatem, tantam

exercitij peritiam, & industriam, tam necessariam, & tam expeditam manuum dexteritatem, nisi ea simul omnia assiduo; nocturno, diurno & diuturno labore sibi comparauerit? Certè vt sua cuique rei, sua segetibus & fructibus, sic sua est Medicæ professioni data tempestiuitas & maturitas, vt perficiatur & proficiat.

+ assequi

Cum ergo rationalis Medicina hæc (vt referunt eloquia sacra) eodem momento quo creata & data est ratio hominibus, quorum est essentia vera; à Deo concessa sit vt regula, quâ ignorantiæ, falsitatis, erroris, fraudis & noxæ crimen & vitium omne tollatur; velut anchora certa & portus securitatis & tranquillitatis in periculosis tempestatibus infirmitatum læsæ sanitatis, & calamitatibus morborum, in quo tutum habeant perfugium suum; dummodò ratione recta regatur, hoc est cognitione rerum, quas Medicina complectitur, causarum, corporum, partium, affectionum, naturalium, non naturalium & contra naturam, remediorum, proprietatum & circumstantiarum essentialium in genere & in particulari, quæ à solis veris Medicis, peritioribus, consummatioribus & illuminatioribus ἰατροῖς perfici possunt.

Hippoc. περὶ εὐσχημοσ.

Ratio enim data est hominibus pro omni arte, estque velut ars ante artes omnes, inquit noster Galenus. Sic rationalis Medicina se gerit circa proprias causas, corpora, affectiones sanas, morbosas, alimenta, medicamenta, remedia, diætetica, chirurgica, pharmaceutica, iustè & prudenter dispensanda in genere & in particulari.

c. 4. lib. 1. de vsu part.

Sic iurisprudentia, sic architectura, sic militaris ars circa proprias quæque causas versatur, vt veram & certam habeat earum notitiam generalem & particularem, iisque propriam suam adhibeat medelam

necessariam per proprios artifices in arte instructos, peritos, expertos, probos & in omnibus eius partibus, exercitiis & operationibus numeris omnibus absolutos. Quicumque fuerint huiusmodi ἰητροὶ, inquit Hippocrates, nunquam in vllam malè docendæ & faciendæ Medicinæ suspicionem incident. Regula enim à Medicis talibus applicata non sinit vllum dari errori, vitio & maleficio locum: quod per se damnari possit esse sanitati & vitæ noxium. lib. de leg.

Cauere ergo diligentissimè debent, ne ex accidenti criminis & noxæ occasionem præbeant Medici, neue sacra artis suæ mysteria theoretica & practica indignis & immeritis, ignaris scilicet & imperitis tractanda & gerenda communicent & cõmittant, ne qui per alios malũ fecerint, per se ipsos fecisse iustè damnẽtur. Qui ergo ministris sua officia & opera confiderint insciis, inexpertis & magna ex parte improbis, ęgros suos occidisse coram Deo & hominibus iudicabuntur, aut saltem in grauissima pericula eos coniecisse.

Quæ causa fuit, cur miratus Plinius quæsiuerit, quare erat rationalis hęc Medicina olim tam celebrata, vt primos eius authores cælo assignauerit, ea ratione, quòd eius ope Æsculapius Tyndaridem à morte ad vitam reuocasset; & sub eius filiis Podalirio & Machaone in expeditione & obsidione Troiana ars hęc in tanto honore & gloria fuerit apud omnes: paulo post tamen in densissima nocte latuerit, donec Hippocrates in insula Co natus eam in lucem reduxit, & in publicum ac communem vsum suscitauit. Sed magis mirari debuit, quòd post Hippocratis interitum integra diu non perstiterit, sed defecerit. Qui enim secuti sunt Diocles, Praxagoras, Chrysippus, Erasistratus & alij posteriores, eius placita mutare cœperunt, & ab eius eruditionis veritate & puritate, nec-

non ab eius animi & morũ candore in ignorantiam, errores, & in multa vitia, fallacias, fraudes, maleficia & crimina delapsi sunt. Quæ causam dederunt Catoni Majori scribendi ad filium, Athenis nauantem literis operam, bonum esse Græcorum literas inspicere, non perdiscere; eique prędixisse, quandocumque gens ista literas suas dabit, omnia corrumpet: tum etiam magis, si Medicos Romam miserit: iurarunt enim barbaros omnes necare Medicina sua.

c. 5. l. 2. bistor. Durabat enim, inquit, Romæ antiquitas firma medicinæ rationalis, magnasque confessæ rei vindicabat reliquias: & populus ipse Rom. vltra sexcentesimum annum, sola ea vsus est Medicina, ceu millia c.1.l.29. hist. nat. gentium, inquit, sine Medicis sunt, non tamen sine Medicina. Quamdiu enim vita & moribus moderatè se Romani gesserunt, tamdiu etiam humoribus suis temperati & sani sine Medicis vixerunt: eosque solùm aduocauerunt, cùm nullas temperatè viuendi leges seruauerunt, quousque ætate Magni Pompeij orandi magister Asclepiades, non satis, inquit, in ea arte quæstuosus, vt ad alia sagacis ingenij, huic se repentè conuertit, atque (vt necesse erat homini, qui nec id egisset, nec remedia nosset oculis vsuque percipienda) torrenti ac meditata quotidie oratione blandiens omnia abdicauit, totamque Medicinam ad casum reuocando coniecturam fecit. Præcepta autem quæ excogitauit prætermitto, cunctis fauentia, si fuissent vera quæ erant facillima: quibus tamen vniuersum prope humanum genus circumegit in se, non alio modo, quàm si cœlo emissus aduenisset. Is ergo repentè leges salutis humano generi dedit, quæ tamen statim abrogatæ sunt, cum non essent ne quidem paucis proficuæ.

Auditor eius Themison, quæ magister scripserat, ad sua

ad ſua placita tam infœliciter mutauit, vt in omnium ægrorum necem conuerterit: vt de eius infortunatis actionibus & operibus, cùm quod erat crebrum exprimere vellent, vulgò dicerent,

Quot Themiſon ægros autumno occiderit vno. *Iuuenal.*

Exortus deinde Vectius Valens, adulterio Meſſalinæ Claudij Cæſaris nobilitatus, pariterque eloquentiæ affectator, qui eam potentiam nactus nouam ſectam inſtituit.

Eadem ætas Neronis ad Theſſalum tranſiliuit, delentem cuncta maiorum placita, & rabie quadam in omnes Medicos perorantem. Quali prudentia ingenióque, æſtimari vel vno argumento abundè poteſt, cum ſuo monumento quod eſt via Appia, ἰατρονίκην ſe inſcripſerit. Nullus hiſtrionum equarumque trigarij comitatior egreſſus in publico erat. Is poſt Themiſonem Theſſalus ipſe diatritariorum & communitatum methodicarum (quas dicebant) princeps fuit: & Medicinam paucorum menſium ſpatio ſe demonſtraturum pollicitus, fullones, tinctores, ſutores & artifices quoſuis è tabernis tanta multitudine ad ſe pertraxit, vt penè omnes relictis miniſteriis, & tyrociniis aduocauerit.

Commemoratis Medicis indigenis ad alienigenas & aduenas pergit idem Plinius; ad Crinam Maſſilienſem, qui arte geminata vt cautior religioſiorque haberetur, ad ſiderum motus, ex ephemeride mathematica, cibos dando, horaſque obſeruando authoritate Theſſalum præceſſit; cum repente Charmis ex eadem Maſſilia ciuitatem inuaſit, damnatis non ſolùm prioribus Medicis, verum & balineis, frigidaque etiam hybernis algoribus lauari perſuaſit; vidiſſes ſenes conſulares vſque ad oſtentationem rigentes: itáque tandem dixerit: Mutatur ars quotidie, toties

interpolis, palamque fit inter eos, vt quo quisque loquendo plus polleat, illicò fiat imperator vitæ nostræ & necis. Nec dubium est, eos famam nouitate aliqua aucupantes, animas statim nostras negotiari: quinetiam id mercede faciunt, vt fides sit iis maior, & facilè disperdant. Inde miseræ illæ circa ægros sententiarum concertationes, nullo idem sentiente, ne videatur accessio alterius: hinc illa infœlicis monumenti inscriptio, turba se MEDICORVM periisse.

Subit mirari, inquit, nullam artium inconstantiorem esse, & etiamnum mutari, cum sit fructuosior nulla. Pergit prauæ istius fæcis turbæ falsorum MEDICORVM maleficia & crimina, ab inscitia, auaritia & ab aliis vitiis prodeuntia, minutiùs commemorare, quę timuit Cato & pręuidit, Imperij mores esse perditura: lues enim morum non aliunde maior, inquit, quam è MEDICINA. Vatem prorsus quotidie faciunt Catonem. Sed quæ personis imputanda esse, ipsimet proceres artis in semetipsis, inquit, fatentur; quos non solum Cato & Plinius, sed Oratores, Historici, Poëtæ & Philosophi ore & scriptis acerbissimis insectati sunt.

c. 50. lib. 29. hist.

Non enim à Catone fuisse damnatam rem vtilissimam credit: subiicit enim, Catonem MEDICINA rationali se & coniugem vsque ad longam senectam perduxisse: profiteturque fuisse commentarium sibi, quo medebatur filio & seruis familiaribus. Ideo dicit, rem antiquos non damnasse, sed artem, maximè verò quæstum. Vt omnes sciant, rationalem artem (quæ cuiusuis erroris est emendatrix, vindex & regula à Deo profecta) nemini posse esse suspectam, sed solos qui ea vti nesciunt falsos MEDICOS. Quod in sequentibus per sæcula posteriora ad nostra vsque declaramus.

Damnauit ergo Cato non rem, ſed artem, hoc eſt malas artes medentium, inertiam, imperitiam, & turpem lucri cupiditatem, quæ eos tranſtulit ad dolos, fraudes, fallacias, oſtentationes vanas, nouitates, quibus fucum impoſuerunt, & miſerè credulos & incautos circumuenerunt.

Cum ergo quingentos aut ſexcentos circiter per annos poſt Hippocratem Medicina vera multum defeciſſet, neceſſe fuit, vt Deus artis & naturæ author primarius, Genium alterum ab Hippocrate Galenum ſuſcitaret, naturæ & artis magiſtrum & vindicem ſummum, qui ſe & patrem à Deo monitum ſcribit, vt ſtudia Medicinæ amplecteretur, quibus obſcuritates Hippocratis elucidaret, breuitatem ſermonis eius dilataret, diſperſa colligeret, falſitates eliminaret, per cauſas veritatem demonſtraret, & per effectus confirmaret, quæ imperfecta eſſent adimpleret, ſectas omnes erroneas profligaret, artem claram, puram & integram ſtabiliret. Quæ, Deo iuuante, tam fœliciter præſtitit, vt quouſque Romanum Imperium extenſum fuit, Medicinam rationalem tranſfuderit. Cumque temporibus illis circumferretur Medicina triplex; Rationalis, Empirica & Methodica, vt refert Galenus in libris ſuis iſagogicis, de ſectis & de optima ſecta; vel vt inquit D. Hieronymus, tres Medicinæ partes, quas τὸ δόγμα, τὴν μέθοδον, & τὴν ἐμπειρίαν, eſſe dixit; Rationalis ſola vera, relictis aliis, præualuit, & ipſæ cum ſuis patronis euanuerunt, & falſitas earum luce clariùs à Galeno palam enunciata & probata; facta tamen hac partitione Empiricæ, vt quæcumque longa experientia obſeruatæ eſſent virtutes tutæ, ſecuræ, veræ & proficuæ, per ſolos effectus tam alterantes quam purgantes, in commune corpus Medicinæ cum iis quæ ratio, cauſarum notitia & metho-

Ep. lib. 2. ad Paulinum, ep. 1.

dus inuenerat, ſociarentur & concurrerẽt inſeparatæ, nec quicquam, niſi mutuis ſubſidiis rationis, cauſarum & experimentorum probatorum ſimul conſpirantium ſuſciperent curandum. Sic ſecum eo fœdere inito Empirica ſe Rationali coniunxit, & Rationalis ſecum Empiricam aſſumpſit comitem indiuiduam: nec amplius ab eo tempore ſeorſim Empirica vera disjuncta ſubſtitit. Sed Medicina rationalis vtroque crure & oculo completa, dextro & ſiniſtro, rationis atque experientiæ ſuffulta & illuſtrata recto viſu & greſſu, in bene dignoſcendo, prædicendo, medendo, operando & iudicando proceſſit necnon & legitima Hippocratis & Galeni exinde fœtura, optimè ſuis partibus omnibus doctrinæ veræ & puræ, & diſciplinæ rectæ & iuſtæ completa, abſoluta & conformata ſub Imperatoribus Romanis enata eſt, legibus, ſtatutis, muneribus, ſtipendiis & honoribus ornata; in palatio Archiatrorum certo numero, in caſtris militaribus certo: in maioribus vrbibus, minoribus & minimis certo: qui antiquo more docerent, cum ἔξοχοι erant ſeniores, quales erant architectonici ab Ariſtotele vocati: qui operabantur, quales δημιουργοὶ: & qui erant ab ipſa natiuitate in Medicina primò inſtituti, dicti πεπαιδευμένοι. Nihilominus vix per vnum aut alterum ſæculum in eo ſplendore & magnificentia emicuit. Siquidem cum Imperio & cum cæteris bonis diſciplinis lapſu grauiſſimo corruit. Quamuis enim Imperium Romanum eſſet robuſtiſſimum, bellis tamen Europa tota ęſtuantibus tandem conuulſum, confractum & euerſum fuit, & ipſa Medicina cum reliquis diſciplinis & cum earum profeſſoribus fugere in alias terras coacta eſt. Ac Medicinam quidem in Arabiam potiſſimùm, tunc temporis quietiorem, effugiſſe memoratum eſt. In quo horrido &

Gal. init. lib. methodi.

3 pol. c. 11.

inclementi Mauritanorum tractu, ſolo vt cælo ſqualido & retorrido, quam Medicina habuerat antea à Grçcis,& Latinis veritatem, venuſtatem, puritatem & certitudinem priſtinam, amiſit: quæque antea integra, pulchra, caſta, benefica, gratioſa, nobilis & glorioſa erat, illic vitiata, ſtuprata, corrupta, proſtituta, labefactata & tota à ſe ipſa immutata, erroribus ſcatens & hiſpida, mente, manibus & iudicio reſoluta, mutilata & truncata rediit, eadem paſſa detrimenta & damna, quæ fides & religio Chriſtiana ab impietate Mahometana accepit. Vnde factũ eſt, vt Medici, qui ante fugam erant rationales & legitimi hæredes Hippocratis, poſt reditum fuerint planè degeneres & ſpurij, ſemidogmatici, ſpecie & nomine ſolo, non re rationales; & qui antè inſtructiſſimi & peritiſſimi, redierint ineruditi & imperiti; qui erant antè apti ad benè operandum, animo & corpore εὐφυεῖς, redierint ἀφυεῖς, vtroque impotentes & inepti; qui erant Magiſtri ingenioſiſſimi & venerandiſſimi, redierint ignobiliſſimi & viliſſimi: qui demum erant architectonici & δημιουργοὶ & πεπαιδευμένοι poſt reditum ſuum ne fuerint quidem de numero baccalaureorum: nec ampliùs doctores, & operatores MEDICI fuerint appellati, ſed phyſici & ſpeculatores, domi deſides, mente, iudicio, ratione & manibus priuati, vt paralytici, vix vnquam ad ægros accedentes, οὐροσκόποι ſolùm, de putido lotio ex phiala per intermedios miniſtros conſulti, reſponſa dantes vt oracula ſibyllina, ambigua, dubia, falſa, abſurda, ridicula, ſæpiùs contraria. Nempe quia redierant tam inertes & imperiti, vt quibuſdam ſolùm documentis vniuerſalibus leuiter tincti, in particularibus diſtinctionibus & dioriſmis cauſarum, naturarum, corporum ſanorum aut ægrorum, remediorum, & exercitiorum quorumuis, apud

ægros nullatenus verſati, exercitati & experti iacerent inglorij.

Sacra namque ſuæ artis myſteria, officia & opera Medica, quæ profanis communicari Hippocrates religioſiſſimè vetuerat, (cùm eſſent ſolis Medicis tam propria & congenita, quam ſunt ſua viſcera nobilia) in manibus ſuorum vilium & mechanicorum miniſtrorum depoſuerant, eaque à ſuis mentibus & manibus alienauerant & abdicauerant: ideoque tam apti & idonei erant omnibus Medicinæ partibus, actionibus, operibus, muniis & exercitiis edendis, quàm ad muſicam & ad lyram aſini.

Sic ergo Medicinæ rationalis & Medicorum profeſſio & œconomia in doctrinæ veritate & puritate, in recta diſciplinæ obſeruatione olim tam celebrata, tam vtilis, tam ſalutaris & tamglorioſa in ſcholis & apud ægros, in genere & in particulari ſub Imperio Romano; poſtea in conditionis tam ignobilis, & ſortis tam contrariæ mutationem incidit, per doctrinæ veræ corruptionem & diſciplinæ rectæ deprauationem & euerſionem, vt Medici magna ex parte ab Hippocrate, Galeno & aliis Græcis degeneres & illegitimi prodierint.

Quia tamen hærebat adhuc ſummorum Pontificum, Regum & aliarum Poteſtatum animis rationalis Medicinæ antiquæ memoria, per quam ipſius renouandæ & reſtituendæ ſtudio & amore ſummo detinebantur; Academias ſeu Vniuerſitates fundauerunt & creauerunt, quæ diſciplinarum omnium ἐγκυκλοπαιδίαν complecterentur, ſcilicet liberalium artium, Theologiæ, Iuriſprudentiæ & Medicinæ, quas Facultates nominauerunt. Quibus erigendis Reges etiam & Imperatores dotes, beneficia, priuilegia, immunitates & ſtipendia contulerunt, eaſque tanquam

filias suas honoribus, muneribus & donis magnis locupletauerunt, & pro stirpis suæ Pontificiæ, Regiæ & Imperatoriæ origine & genere, próque castitate, pulchritudine, puritate & meritis exornauerunt. Et sic Medicas facultates bona fide, vt filias suas proprias, istis aduenis Medicis ex Arabia, peregrinis, nouis hospitibus, falso nomine, habitu & specie rationalium, legitimorũ Hippocratis discipulorum & successorum delusæ, dicauerunt & in matrimonium collocauerunt, credentes eos esse ex familia illa antiqua egregiorum Medicorum prognatos, quorum famæ & meritis responderent, & qui totam Europam huiuscemodi Medicis præstantissimis replerent. Propterea quas isti voluerunt & postulauerunt leges & statuta, à Pontificibus & à Regibus obtinuerunt, magna ex parte inani & vano suo animo malè digesta & iniusta. Quid enim aliud ab iis prodiisset, quorum doctrina tota corrupta & impura erat & disciplina deprauata & peruersa?

Siquidem contigit longè aliud quam speraretur ex isto coniugio: vt scholæ, quæ olim erant sapientia & prudentia nobilissimæ, factæ fuerint inertia & imperitia ignobilissimæ: quæ erant suorum officiorum dispensatrices fideles & administræ, suorumq; ægrorum sedulæ & peruigiles obseruatrices, suorum ministrorum inspectrices exactissimæ & maleficiorum correctrices seuerissimæ, bene docendi, dignoscendi, prædicendi, medendi, operandi & iudicandi per veras causas, verissimæ, certissimæ & rectissimæ regulæ, per inscitiam, imperitiam, ignauiam, errores, corruptiones, deprauationes arabicas factæ sint rationalis Medicinæ apostatæ, corruptrices, destructrices, & desertrices, quæ totæ à Grecorum principum Medicina pura, recta & iusta defecerint, & fecerint

vt quæ olim erant ſacra officia medica, methodica, nobilia, libera, liberalia magiſteria, digna ſacris ſolis Medicis, ingenuis, ingenioſis, doctis, peritis, conſummatis magiſtris artis propria: quæque erant miniſteria vilia, ſeruilia, ſordida, ignobilia, ſolis digna illiteratis, ignaris, illiberalibus, ignobilibus & mechanicis miniſtris conuenientia, non modò confuſa ſint & ſimul permiſta, ſed ordine inuerſo per ignorantiam ſtupendam, & per praua ſtatuta, quę ſucceſſerunt multa, iniuſta decreta & iudicia, ſacra profanis, medica & methodica magiſteria miniſtris ignaris & mechanicis, nobilia ignobilibus, tonſoribus & inſtitoribus tabernarum & officinarum mercatoribus commiſſa ſint.

Non potuerunt enim Facultates, ſtirpe licet & origine tam nobili, virtutibus, meritis, honoribus & bonis tam multis ornatæ & tam commendatæ, non modo nobilitatem, excellentiam, venuſtatem, veritatem, puritatem & integritatem doctrinæ & diſciplinę antiquæ bene docendi, dignoſcendi, prædicendi, medendi & operandi non perdidiſſe, nec ſub tam falſis documentis, velut fundamentis tam ruinoſis & infirmis, ſuperſtructa ſuſtineri ædificia firma & ſtabilia: nec ſub principiis impuri iſtius congreſſus, originali labe tam contaminatis & inquinatis, prolem concipere & producere aliam, quàm corruptam, inertem, imperfectam, informem & muniis omnibus rectæ Medicinæ edendis ineptam, contagioſam & mortiferam; acceſſorium ſiquidem ſequi oportet naturam principalis, inquiunt Iuriſperiti. Quis etiam non videat, Facultates per ſe nobiliſſimas, per ignobiles iſtos deſpectas eſſe redditas?

Etenim Medici illi, naturæ & artis miniſtri & magiſtri

giſtri olim ſapientiſſimi, prudentiſſimi & venerandiſſimi, ex illo cælo & ſolo Arabico redierunt vilibus ſuis miniſtris viliores: quia mente & manibus omnino paralytici, ideóque ignaui & deſpecti, velut inermes milites, inualidi, impotentes, exauthorati, à militia ſoluti, in officia & opera ſua medica nobilia, ſibi ſolis propria, miniſtros ſuos ſordidos, ignobiles & ignariſſimos erexerunt ſupra ſe, ſeque ipſos turpiſſimè ſubiecerunt & ſummiſerunt. Quid ergo mirum, ſi ignobiles, contemptibiles & deſpecti ab eo tempore viluerunt & miniſtris ſuis viliores reputati ſunt? Quid etiam mirum, ſi miniſtri illi acceptis à ſuis magiſtris operationibus Medicis, pro Medicis habiti ſint apud vulgares: qui neſciuerunt, an eſſent miniſtri à natura ad ea quæ agebant comparati, an eſſent inſtructi arte, induſtria & peritia apti & idonei? Nam vt animales ea tantùm percipiunt quæ ſunt externa, non ea quæ ſunt ſpiritus & interiora: ſic tam vulgares homines quam miniſtri illi, tales apparuerunt.

Veritas manifeſtiſſimè innoteſcet per ea quæ ab initiis ſuæ inaugurationis ad profeſſionis ſuæ officia peragenda, obtinuerunt ſtatuta prima: quæ nec ipſi Medici, qui ea animo ſuo ſtulto vera, iuſta & ſalutaria finxerunt: nec ij, qui ea bonâ fide ſanxerunt & comprobauerunt, recte & iuſte iudicauerunt: nec quæ cuiuſque propria erant, nec quæ aliena à profeſſione ſua, nec quæ indecora & impropria, nec quæ erant publicæ ſaluti noxia, iniurioſa & inſalubria, intelligere & examinare potuerunt.

Demonſtratur per ſtatutum hoc primum, quod eſt fundamentũ innumerorum criminum & maleficiorũ profeſſionis, quod hactenus nulla reformatione deleri potuit, ne quidem poſtrema ſub Henrico Magno

nupera, quâ cautum fuit: Si quis baccalaureus sederit, qui chirurgiam aut artem manuariam exercuerit, ad licentias non admittatur, nisi priùs fidem suam astringat publicis Notariorum instrumentis, se nunquam posthac chirurgiam aut aliam artem manuariam exerciturum; idque in Collegij Medici commentarios referatur: ordinis enim Medici dignitatem puram integramque conseruari par est.

In quo nemo mecum æquus æstimator rerum, actionum, operum, exercitiorum & personarũ medicarum crassam temporis illius ignorantiam & adiunctam proximè morum prauitatem & malitiæ affectationem non damnauerit: indeq; corruptionem scientiæ, disciplinæ peruersitatem, Medicinæ rationalis defectum & penè extinctionem, ac demum innumerabilia pericula & damna sanitatis hominum & vitæ excidia profluxisse: Pontifices, Reges, Magistratus, & vrbium Rectores, Politicos, & maximè Facultates ipsas deceptas fuisse per ignaros istos Medicos, & ministros, Deo sic permittente, vt ignorantia nequitiæ adiuncta, innotesceret, vt patebit.

Antequam lycæi seu gymnastici medici stadium per sesquibiennium Parisiis decurrendum aperiatur, proferri solent Facultati testimonia duplicia.

Prius est Philosophiæ & liberalium artium per magisterij literas in Academia examine publico adeptas. Posterius est per partium omnium totius Medicinæ quadriennio integro & continuo sub Regiis & Scholæ professoribus audita & percepta documenta, subsignatas tabulas, sine quibus nulli patet ad sesquitriennale stadium emetiendum, aut ad examen vllum priuatum, aut ad actum publicum sustinendum aditus. Quid primum videtur his iustius testimoniis?

Iam ergo ad totum cursum Medicum absoluen-

dum, examen triplex priuatum, & triplex publicum, ter toties triplicatum, quot sunt numero baccalaurei, albo militiæ inscripti, subeundum est. Singuli enim quot theoremata, physiologica, pathologica & therapeutica proposita sunt, simul omnes sustinent & specimen reddunt eruditionis, peritiæ, iudicii & rationis. Non est quod quispiam hæc damnare queat.

Examini priuato septimana integra manè & serò assignatur examinatoribus quinque aut sex sortitis; qui Candidatos introductos de generalibus totius Medicinæ partibus, physiologicis, diæteticis & pathologicis interrogant. Peracta septimana eruditiores retinentur, infirmiores relegantur. Non est etiam in iis quod quisquam (fateor) arguat.

Exacto vno aut altero mense alteri examini priuato designatur dies & materia medica, & maximè botanica: ex qua desumuntur alimenta & medicamenta simplicia & composita, eorum delectus, pręparatio & mistio. In priori pro subiecto seu materia in qua, examinatur corpus humanum cum suis partibus, differentiis & affectionibus sanis & morbosis. In posteriori pro subiecto altero seu materia ex qua, est herbaria & mineralis cum suis differentiis & proprietatibus tractatur.

Tertium examen therapeuticum ad finem cursus emensi differtur. Quis hæc tam bene sic disposita non probet, & priora duo generalia præmittenda neget?

Tertium, quod totum est particulare & therapeuticum: particularia enim sunt sola curabilia & curantia; quis non dicat bene postremum subsequi?

Si quæras, cur priuatos intra parietes, seclusis aliis arbitris quàm Medicis, perficiantur? nempe vt exploret Schola, an cum honore & gloria suam digni-

tatem propositis theorematis sustinere possint publicam.

Publici verò actus fiunt, vt non modò Medici, veri iudices, sed etiam profani suo modo iudicent, quæ cuiusque sit eruditio, quæ ἀγχίνοια, quod ingenium & iudicium, quæ ratio, industria & peritia mentis & manuum dexteritas & dispositio, ad perquirenda, inuenienda & facienda particularia vsque ad vnum numero indiuisibile, quod curet & curetur solum: quæ vera, certa & recta via, ratio & methodus medica seruandæ sanitatis per similia, propria, & curandorum morborum & causarum, per contraria adæquata & conuenientia. Quæ tamen clariùs apud ægros percipiuntur, quam in scholis & ex libris addiscuntur.

Hæc quidem generalia nemo improbabit, quia sunt principia prima, omnibus etiam artis ignaris nota & probata prima facie, quia sunt vniuersalia, indistincta, & confusa, specie vera. Sed si exactius, distinctius & minutius resoluantur & diuidantur, comperientur in particulari ad medendum parum vtilia, aut etiam falsa, iniuriosa & noxia.

Sic statutum illud primum & examen triplex priuatum, actusque reliquos publicos, aspectu primo probabiles iudicabunt omnes, quos si ad examen specialius & penitius reuoces, aut imperfectos & parum proficuos per se, ne dicam ridiculos & improbandos, reformatione & correctione dignos iudicabis, & esse decretorum aliorum perniciosorum quæ successerunt, & innumerorum damnorum, excidiorum, infortuniorum & calamitatum salutis & vitæ hominum & rationalis Medicinæ professionis causas & principia mecum affirmabis. Quæ cum hisce adhuc temporibus obseruentur, censura Regia & ferula

Senatoria dignissima comperies. Ne ergo Medica veritas fictis & falsis illis documentorum coloribus externis obtegatur, quæ ad speciem fallacem fucum & fastum generaliter imponunt iis, qui rationales virtutes, particulares proprietates ac interna mysteria artis nesciunt, & quibus Arabistarum vitia & maleficia sunt occulta & incognita: demonstro ex vtroque priuato examine primo, & ex postremo & aliis publicis modicum quid comparari, quod ad seruandam sanitatem & morbos sanandos per se conferat. Seruantur enim & curantur, seruant & curant particularia & singularia sola, quæ toto in sesquibiennali medico cursu conficiendo & emetiendo in scholis à professoribus nec docentur, nec obseruantur, nec cognoscuntur, nec tractantur: sed sola generalia quædam confusa, implicata, indistincta, indefinita. Sic in priuatis examinationibus physiologica, diætetica & pathologica affectionum sanarum & morbosarum, corporis & partium veniunt in disquisitionem. In secundo examine materia medica quæ seruare & curare potest humanum corpus. In tertio methodus & ratio qua vtrumque obtineri possit. Sed tam ea, quàm actus, concertationes & reliqua intermedia exercitia, quanquam publica; sunt tamen tantum generalium & vniuersalium quarumdam rerum exiguæ & leuis eruditionis, peritiæ, iudicij & vtilitatis per se ad verè, certè, rectè, iustè & salutariter dignoscendum, prædicendum, medendum, operandum & iudicandum: ita vt nemo ex iis vllam gloriam in Medicina promereri & sibi tribuere iure queat per causas, nisi per particularem singularium curabilium & curantium notitiam, per effectus comprobatam verissimam sit assecutus: quam sibi nemo ex scholis, toto licet æuo suo in iis versetur, audeat

polliceri, licet in ea ſola particulari notitia poſita ſit artis finis & perfectio, nempe cuiuſque in particulari indiuiſibilis numero vera, certa, recta, iuſta, diſtincta & definita conſeruatio & curatio.

Sed eſto præludia hæc prima generalia ſint aliquatenus vtilia, cum viam parent & indicent ad exquirenda & inueniēda interiora ſingularia poſtrema, quæ ſunt curabilia & curantia ſola : attamen per ſtatutum illud, quod Regia ſanctione & ſupremæ Curiæ confirmatione & ſacramento publico inuiolatum eſt; generalia omnia, & multo magis particularia ſeu documenta, ſeu interrogata, ſeu concertationes, ſeu actus, ſeu myſteria, ſeu actiones & opera medica irrita facta ſunt & prohibita : ideo Arabiſtæ ſponte omnia iſta officia nobilia medica & rationabilia abiurauerunt, etiamque poſteros ſuos renunciare præſtita fide hactenus coëgerunt, & à miniſtris ſuis illiteratis & illiberalibus, ac mechanicis exercenda in omnem damni & mortis euentum reliquerunt & tranſmiſerunt, vt cum vilibus & ignobilibus miniſteriis nobilia medica myſteria & methodica opera, quæ ſola ſanos ſeruare & ægros curare poſſunt, peragerent & coniungerent.

Quis ergo non dixerit, iſta demiſſione, generalia ſeſquibiennalia documenta & exercitia per tot prælectiones, actus, concertationes, interrogationes, & reſponſiones eſſe vana, futilia, inutilia, noxia, exitioſa, & impoſſibilia? Quia fuerunt ab initio prohibita & iis qui fidem datam violarent pœna grauis inflicta, ſi artis & ordinis medici dignitatem puram & integram non ſeruarent.

An non per iſtud ſtatutum quæ erant Medicorum principum Medicinæ olim exercitia, opera & munera præcipua, nobilia & glorioſa, & in ſcholis & apud

ægros,anatomica, botanica, pharmaceutica, chirurgica, diætetica, χειροτεχνικὰ : quæque in officinis suis seruabant, operabantur & habebant pretiosissima & charissima, abdicauerunt & eorum omnium voluerunt apud posteros obliteratam esse memoriam? Nullas suis in theatris anatomicas ἐγχειρήσεις, nullas operationes chirurgicas curandorum vulnerum, vlcerum,tumorum, fracturarum & luxationum in scholis & apud agros administrari & celebrari,sed ad tonstrinas sordidas & olidas, capillorum & excrementorum omnium,vt cum cirurgia chirurgia cōmisceretur,relegari: nullam alimentorum, medicamentorum,quæ sunt admirabiles Dei manus & naturæ munera,diuinis proprietatibus & viribus prædita, à Medicis fieri mentionem: cum existimarent ea esse mentibus & manibus suis indigna, sed ad mercenarias mercatorum suorum pharmacopolarum tabernas transferenda, vt illic cuiusque vænalis esset vita, vt ἀπεμπώλησις & αἰσχροκέρδεια, Hippocrati tam odiosa & reiecta,palam exerceretur: & pharmacia tam locuples, pretiosa & admiranda,quæ thesauros omnes naturæ & panaceas continet, cum pulueribus tabernarum & sentinis nauium admista profanaretur & vilesceret?

Cum ergo fuerint à mentibus & manibus Arabistarum theoretica illa vniuersalia & practica omnia particularia reiecta,quæ potuerunt esse eorum documenta, interrogata, responsa? an vera, certa, recta, salutaria,tam in triplici examine, quàm in actibus & certaminibus priuatis & publicis, quæ fuerunt decretis Regiis, & Curiæ supremæ, & Scholæ tam cautè interdicta,tam religiosè & seuerè seruata, tam solenni sacramento vetita, & pœnis etiam inflictis tam seuerè contra reos vindicata? Vidimus Collegam nostrum Sauotium exautoratum,ab ordine reiectum

& ex numero Doctorum expunctum, quòd ad Nosocomium, exercendæ propria manu chirurgiæ causa se contulisset. Eumdem vero non nisi chirurgia abiurata, & expiata culpa, (quasi piaculum esset & graue crimen ægros in Nosocomio male curatos sanauisse) per nouam extra ordinem præsidentiam, veluti pœnitentiæ pœnam irrogatam, restitutam fuisse.

Vidimus Doctorem alterum+, qui Pharmaciam docendo Pharmacopœorum tyrunculis quædam theoremata proposuisset, vt meliùs medicamenta eligerent, præpararent & commiscerent, fuisse mulctatum, nempe emolumentis Scholæ in biennium priuatum.

+ Ioannem Riolanum filium

Vidimus clarissimum Duretum Medicum Parisinum, propter præscriptum à se cuidam matronæ nobili elleborismum, quo hausto repente extincta fuit, in publicam vocatum contumeliam, quia confisus fidei Pharmacopolæ aconiti radices pro elleboro sumpserat: vt suam expiaret natiuam, à maioribus materiæ medicæ ignorantiam acceptam, hortulani rustici cuiusdam, Huberti nomine, discipulum factum, domi suæ aluisse, & nomenclaturam, ac faciem externam herbarum earumque differentias ab eo didicisse.

Sed quorsum hunc aut alterum designem ignorantiæ, erroris, culpæ & criminis reum, cum Scholam & Facultatem ipsam habeamus consciam & participem; quæ à tonsoribus, in dissecandis cadaueribus ad anatomica theatra sua, efflagitare quotidie perseuerat manum & industriam; & Robinum adhuc alit botanicum magistrum suum; vt pharmacopolas, chirurgos barbitonsores, ac iuratos per tot secula tulit, & adhuc ab eorum manibus & ore pendet? Nec

pudet

pudet adeſſe præſentes, dum obſeruant eos malè ſua præſtare officia & propria edere opera, quos arguere non modo non audent, ſed neſciunt? Quam iuſtum ergo eſt Scholas incidere in grauem ſui Hippocratis reprehenſionem, quæ ſacra ſuæ artis myſteria βεβήλοισ tam indignis turpiſſime communicauerũt, vt iuſtas etiã, tantis criminibus & maleficiis quæ inde orta ſunt, & meritiſſimas pœnas luerent, & ſupplicia publica, contemptus, vituperij & ignominiæ, inertiæ, ignorantiæ, ignauiæ & imperitiæ in docenda, facienda & exercenda vera Medicina rationali, in inſtituendis, formandis & creandis Medicis nouis, veris & legitimis, & in rebus, perſonis & operibus medicis ſalutariter edendis & rectè iudicandis? A quibus vitiis innumera orta ſunt capitalia maleficia, ſemper noxia & exitioſa: ſed maximè à ſtatuto illo, velut à capite, primo principio & fundamento malorum omnium Medicinæ profecta. Quo ergo modo vtrumque iſtud examen priuatum à Doctoribus per tot ſæcula rerum iſtarum anatomicarum, chirurgicarum & materiæ cuiuſvis medicamentariæ & alimentariæ, in genere & in particulari ignaris, rite adimpleri & perfici potuit?

Cumque ſit ſolius ſcientis poſſe docere interiora generalia, quæ ſunt ſcientiæ; & demonſtrare exteriora, quæ ſunt ſenſuum & particularia: quo modo ea in Scholis docebunt & demonſtrabunt, de iis interrogabunt, arguent, reprehendent, iudicabunt, & apud ægros rectè peragent, quæ tanta religione, ſub fidei ſacramento publico, ſcire, docere, demonſtrare & facere prohibiti ſunt, & in quibus non fuerunt inſtructi?

Certè vt generalia omnia phyſiologica, diætetica, pathologica leui, ſic generalia omnia, chirurgica &

pharmaceutica ſicco prorſus pede pertranſeunt: particularia verò omnia ne quidem vlla in mentem veniunt, quæ quærant, quæque reſpondeant. Teſtis ille, cui cum oſſea ſcapula eſſet oblata, trochanterem eſſe reſpondit. Si quis etiam blitum exhibuiſſet, lactucam eſſe reſpondiſſet. Adeo noua ſunt omnia, antiquis tota contraria: Vt cum ſenſibilia particularia Candidatis primùm iunioribus olim exhiberentur, aut ſimul etiam cum generali ſcientia docerentur & demonſtrarentur opera particularia; hodie ſola generalia curſim, ſuperficie tenus, duntaxat perluſtrentur, exercitia verò & opera particularia prohibeantur.

An ergo docebunt, demonſtrabunt, & interrogabunt appoſitè ea, quæ profeſſores ipſi & Doctores non didicerunt? An appoſitè etiam reſpondebunt Candidati ad ea, de quibus inſtructi nunquam fuerunt, nec ſenſibus obiecta ſunt? niſi forſan quæ à tonſore pro doctore anatomico, aut à Robino, aut à mercatore pharmacopola pro doctore botanico & pharmaceutico didicerunt. Hæc enim, vt mentibus & manibus ſuis indigna, ad miniſtros ſuos tranſmiſerunt repetenda & quærenda. Sic etiam, proh dolor! non pudet purpuratos & laureatos eadem à miniſtris diſſecantibus, operantibus, deligentibus, præparantibus & miſcentibus addiſcere? iis adeſſe præſentes ſua myſteria male tractantibus & falſa imponentibus, ſuaque opera imperitè peragentibus aſſentiri, & medica conſilia ſecum ineuntibus turpiter annuere & abblandiri?

An ergo vtrumque hoc examen particulare & priuatum dignè celebratur, in quo quod neceſſe eſt ſcire, docere & facere, tam anatomicum, chirurgicum, & diæteticum, quàm quod pharmaceuticum, prohi-

betur? An ſufficit pro examine botanicam cœnam opiparam parare, aut eam commutare in Ludouicum aureum viritim cuique diſtribuendum?

Cùm ergo ſummi Pontifices & Reges architectonicos creaſſent profeſſores regentes, qui erant de Academicorum numero, mediæ quaſi naturæ inter Eccleſiaſticos & laicos, gaudentes priuilegiis Academiæ, immunes ab omnibus ciuilibus & domeſticis familiæ, publicis & priuatis rebus & negotiis, etiamque à nuptiis; vt nullis aliis impliciti, ſolis Scholæ muneribus liberiùs incumberent, nec etiam ad opera medica manibus tractanda deſcenderent, ac propterea Magiſtri noſtri regentes dicerentur, & aliis præſtantiores cenſerentur, velut Eccleſiaſticæ conditionis & venerationis participes, ne vlla ſuſpicione ſiniſtri mortis euentus polluti exiſtimarentur, neue vlli vt olim plebs Romana ad conſpectum Archagati medici vulnerarij, perhorreſcerent, credibile eſt Pontifices voluiſſe, vt etiam ab operibus manuariis medicis abſtinerent. Credibile quoque eſt eos etiam propter ſuam imaginariam dignitatem, & propter opulentiam, cum pauciores eſſent illis temporibus, iam tum officia illa ſua & opera medica à ſe ipſis ſponte depoſuiſſe, & indigna cenſuiſſe manu ſua & mente.

Inſuper autem accidit, vt alij Medici δημιουργοὶ, Doctorum regentium, honorum, gloriæ, & priuilegiorum amore capti, ipſique etiam architectonici dulcedine nuptiarum pellecti, eaſdem appetiuerint, vt illi munera Scholæ & regentiam: ideóque à Cardinale Totauilleo circa annum 1450.+ ad reformandam Academiam miſſo, nihil medicinæ profeſſione eſſe reformandum obſeruatum eſt, quam qvod Profeſſores regentes à nuptiis, & alij licentiati, atque do- +anno 1452

ctores à regentia & ab aliis honoribus Academiæ prohiberentur, propterea vtrisque frui desideriis concessum suis est: Sed quæ erant reformationis seuerioris scutica & censura digniora nescius intacta reliquit: nec venit ei in mentem, medicos ad sua munia reuocare: quæ legisse debuerat apud Ezechielem Prophætam c. 34. contra Pastores populorum qui medicorum munia non exequerentur, nempe quod est infirmum non consolidarent; quod ægrotum non sanarent; quod confractum non alligarent, quod abiectum non reducerent; quæ fuissent ei multò gloriosiora quàm illis concedere ambitiosa, & his coniugia. Sed ne quidem leuiora alia non pauca castigari postulauerunt, cuiusmodi hæc sunt.

Quòd quodlibetariis actibus, quibus quæstiones arduæ & graues non tantùm physiologicæ, sed etiam pathologicæ & therapeuticæ proponuntur, quæque sunt artis subtilitate consulto & maturo iudicio ab antiquioribus magistris sapientioribus soluendæ: attamen seclusis antiquis eruditione, peritia & exercitatione longa consummatis præsidibus, iuniores anteponuntur, vt jeiunas solutiones & imparia reddant responsa.

Quòd in cardinalitiis etiam actibus & concertationibus, quibus baccalaurei leuioris armaturæ milites vmbratili velitatione tantum decertant, de quæstionibus diæteticis magna ex parte clarioribus, volunt ὕστερον πρότερον, Doctorem decennalem, non iuniorem præesse, qui dubia minùs implicita explicet.

Quòd actus sit etiam solennis vesperiarum, qui pridie coronæ doctoralis, aut non multo ante diem laureæ comparandæ celebratur, in quo decennalem oportet Medicum, non iuniorem cum baccalaureo

licentiato jocis, ſcommatis, ludicris ludere, aut ſæpius eumdem & alios lædere & lacerare conuitiis, dicteriis famoſis & contumelioſis mendaciis, aut ſalibus aſpergere, exaſperare, ſubſannare, proſcindere mordacibus. Quid tam veſperiæ illæ referunt, quàm theatrales perſonas comœdiarum?

Quòd demum ſit actus paſtillariorum, quo Medicus ſenior, prçuiis apparitoribus cum faſcibus, aſcendit in ſuggeſtum, vt de medica quæſtione cum puſione pueriliter loquatur, garriat, ludat, inſaniat & veluti repueraſcat, ac locum det adagio, *bis pueri ſenes.*

An ſapiunt iſta Hippocratis grauitatem, authoritatem & ſapientiam? An non laudabilius, glorioſius & vtilius fuiſſet commutari in materiam chirurgicam & pharmaceuticam, medicinalem, theoreticam & practicam exercitationem, cuius vtriuſque tam profunda ſunt hodie in ſcholis & apud ægros ſilentia perpetua, etiamque ſacramento publico reticenda & omittenda? Quæ olim erant Medicorum principum aſſidua exercitia, publica & priuata: nunc vero ſunt Medicis Arabiſtis ſcandala fugienda, vt ſint miniſtris quæſtuoſa & glorioſa præmia & brauia.

Sufficit toto decurſu biennali ſumma tantum genera rerum medicarum primoribus labris delibare & extremis digitis attingere, reliqua ἀδιόρισα prçtermittere, quæ ſunt errorum & maleficiorũ principia. Hodie namq; accurate diſtinctiones & differentias intermedias perquirere & in notitia exacta cauſarum, partium, naturarum, morborum, remediorum, proprietatum & circumſtantiarum eſſentialium, quæ ſunt rectæ methodi, dignoſcendi, prædicendi, & curandi, diu immorari inſolitum, inuſitatum, ac inutile cum

Empiricis ęstimandum est, & cum Arabica fœtura & semidogmatica, originali vitio & labe parentum contaminata, corrupta & peruersa; doctrinæ & disciplinæ Hippocratis puritati, veritati & rectitudini attentius & longius insistere & adhærescere vanum hodie, insanum & ridiculum ab omnibus perhibetur.

Nolim veros Medicos, eximios, rationales ex prędictis malè de nobis sentire & ominari, quòd videamur velle oculos cornicum configere, & carpere quæ sunt vtilia & salutaria. Absit verò, sed tantum ea quæ docti Collegæ Parisini scripto suo nobis notauerunt & communicauerunt, iniusta prima ab initio professionis instituta, & innumera praua, inutilia & superuacua, quæ primis adiuncta sunt & succreuerunt maleficia, saluti publicæ & professioni medicæ omnino aduersa, damnosa & fatalia, hodie ad extremum perniciei, ruinæ & perditionis perducta cum ipsis damnare. Laudamus ergo cum iis quæ benè instituta sunt, & quæ benè à peritis & probis in publicis actibus & priuatis scholis hodie agitantur, geruntur & interrogantur: & cum iis dicimus, ea tantum esse veluti pręludia, prolegomena, vestibula, atria prima & principia artis, seu fontium capita & riuuli, qui à vastissimo Hippocratis & Galeni dimanant Oceano, generalium documentorum, distinctionum & differentiarum, affectionum sanarum, morbosarum & neutrarum, corporum, partium, signorum, rerum omnium naturalium, non naturalium & contra naturam, remediorum diæteticorum, chirurgicorum & pharmaceuticorum, alimentorum, medicamentorum, & instrumentorum, ac bene medendi methodi, & iis benè vtendi pro indicationibus petitis ab iis omnibus & à circumstantiis substantiarum, temporum, qualita-

tum, quantitatis & modorum.

Quæ omnia licet ex monumentis principum Medicorum & ex Scholis generaliter deſumantur, vt tamen ſingula ſingulariter his & illis proportione geometrica præſcribantur & applicentur à præuiis magiſtris in artis operibus conſummatiſſimis & ingenioſiſſimis, ἡγεμονικοῖς velut ducibus & interpretibus, apud ſingulos ægros αὐτοψίᾳ, obſeruationibus & experimentis multis ac longo tempore addiſcenda ſunt. Quæ omnia defuiſſe & defutura eſſe Arabiſtis, ſemidogmaticis, Empiricis omnibus, cum veris & probis Medicis condolemus.

Si dixerit aliquis, quæ deficiunt, per tertium examen priuatum comparari & compenſari. Abſit verò. Cum enim toto biennio baccalaurei vniuerſalia documenta, generalia, ſpecies, differentias & diſtinctiones per diuiſiones omnes, nulla omiſſa, vſque ad poſtremas numero indiuiſibiles perluſtraſſe, & in numerato ad manum ſemper præſentes in animo habere deberent, quas tamen nemo æquus arbiter dixerit eſſe adeptos & conſecutos. An ergo in hoc examine de ijs omnibus, nempe de ſeruandæ ſanitatis & curandorum morborum, tam dignotionum, & prædictionum, quam methodi medendi, præceptis & remediorum appoſitè vſurpandorum modis generalibus interrogari & reſpondere ſolent?

An vllus eſt peritus artis & probus, qui non fateatur eos nouitios, verè neophytos, & totos informes & imperfectos manumitti & coronari?

Quanto ergo tempore opus eſſet, non modo ad hæc generalia omnia in tanta cauſarum, naturarum, corporum, partium, morborum, & remediorum multitudine? Sed multo adhuc longiore ad particularium diſtinguendarum, ſanandarum & curandarum

causarum, naturarum, affectionum, partium, numerositatem innumerabilem & penè infinitam opus esset. Quam agnoscit Hippocrates in artis longitudine, in vitæ breuitate, in præcipiti volubilitate occasionum captandarum, in magna iudicij stabiliendi difficultate & experimentorum tam incertorum periculis. Vnde fit, vt neophyti isti, inertes, adolescentuli, inermes, imparati in hac militia Medica, velut andabatæ, ad ægros accedant, vt clausis oculis potius contra naturam, contra amicos, & contra seipsos pugnent, quàm contra morbos & morborum causas. Quamdiu ergo massæ illæ informes essent lambendæ, tergendæ, & efformandæ, vt essent eruditæ, peritæ & mentibus atque manibus idoneæ & exercitatæ?

An ergo sufficit tertium hoc examen & postremum, vt quæ deficiunt neophytis perficere queat? vt tres septimanas conferre tantum velint Arabistæ, qui cogãt discipulos manè & sero cursitare per vrbem viritim & vicatim ad centũ & vltra magistros sparsim dissitos, vt de enematis, aut apozematis cõficiendi modo & præscribendi formula interrogentur? An hoc est examinis institutioni & expectationi satisfacere? An potius, nec docere, nec facere velle in Scholis & apud ægros, quod publico sacramento vetitum & prohibitum est, in quo Arabistæ & semidogmatici volunt esse positam dignitatis & maiestatis suæ gloriam?

Nostri certè hodierni semidogmatici sunt Galeni semidogmaticis & communitatum Medicis longè deteriores, eo sensu scilicet, quo vocauit Hippocrates febres semitertianas, dimidiotertianis exitiosiores. Vt enim videmus posteriora prioribus quotidie peiora succedere: sic etiam obseruamus in pro-

fessione

fessione medica recentia antiquis mala pejora & inemendabiliora adnasci & superuenire, etiamque Empiricis hodiernis perniciosiores semidogmaticos ad ægros accedere: & esse eo sensu intelligendos dicimus quo Galenus interpretatur febres illas semitertianas, quia se Hipp. æmulos, & sectatores, rationales seu dogmaticos, laureatos & pileo insignitos gloriantur, cum sint tantum rudis indigestaque moles & imperfecta mola, specie κωήματος ἰθαγενοῦς & veræ gestationis facultatibus imponentes. Compendiarij etiam dicti, solo insultantes generalium notionum & definitionum medicarum compendiolo, paucis diebus excepto, aut breui manu transcripto, solis schedulis seu receptis ad omnes morbos, aut potius ad symptomata, referto, à quibus etiam symptomatici Medici dicuntur, quas ex vulgarium authorum monumentis velut fasciculos collegerunt & colligarunt in omnem vitam, adiunctis Beguini aut Crollii spagyricis, chymicis & specificis magisteriis, quæ salibus quibusdam saporauerunt, floribus sulphuris asperserunt, & Mercurij puluisculis dulcorauerunt, atque, ne desint cælestia & formalia, etiam influentiis astrorum impraegnauerunt, & admirandis spirituum viribus & virtutibus sanctificauerunt, quibus insanabiles quosvis morbos & causas se profligaturos pollicentur & imponunt.

Sed exemplis demonstrandum, eos in generibus primis tantùm immorari, nec per rectos diuisionum gradus intermedios distinctionum ad ima vsque descendere, nec ideo vnquam bene dignoscere, prædicere, mederi, curare & iudicare posse: sed tota vita, confusè, indistinctè & indefinitè, temerè & fortuito se gerere, nec vlla vera, certa, recta & iusta agere; nunquam docere suos discipulos in montibus,

nec ægros ſuos in conuallibus, quia vſque ad faſtigia montium aſcendere per compoſitiuam methodum docendi & diſcendi iis nunquam contigit: ergo neque deſcendere per reſolutiuam vſque ad infima licuit, quæ ſola curant & curantur: finis artis actio eſt & operatio ſanitatis, quæ eſt ſingularium; non ſpeculatio, quæ eſt vniuerſalium. Ex iis. ſi quæſieris, an ſuo compendiolo materiam omnem medicam in qua, ex qua & circa quam, ad omnes affectus exacte dignoſcendos & diſtinguendos, inueſtigandos & ſanandos neceſſariam, concluſerint.

In qua, corporum, partium, affectionum ſanarum & morboſarum, cauſarum, ſignorum, & remediorum omnium accuratam notitiam: Ex qua, diæteticam, Pharmaceuticam & Chirurgicam ſcientiam & operationem medicam, nobilem & ignobilem, dominam & ancillam. Non enim medicis eſſe debet ancillæ amor pudori. Circa quam, vniuerſalem omnem & particularem methodum medendi, vſum & exercitationem, animi & manuum induſtriæ & peritiæ notitiam certiſſimam & probatiſſimam, qua inueniuntur ſingula, dignoſcuntur, eruuntur, definiuntur, præſcribuntur & perficiuntur ſingula vnicuique propria: Certiſſimè videbis eos ad hæc magis mutos, quam piſciculos, nec alia reſponſuros, quam generalia & communia, confuſa, indefinita, indiſtincta, temeraria, dubia, incerta, ſæpe abſurda, aduerſa, aliena & noxia: nec aliter eos apud ægros obloqui, proponere, præſcribere, operari & iudicare, quam eadem & vulgaria.

Siquidem apud eos omnes apoplectici, epileptici, lethargici, hydropici, paralytici, rheumatici, arthritici, colici, ſyncoptici, orthopnoici, palpitantes, affectus ſunt frigidi: Apud eos cauſæ omnes, ſeu vni-

uersales, seu particulares sunt similes, aut eædem externæ & internæ.

Externas quidem obuias sensibus agnoscunt & accusant: internas, non aliter quam vulgus, norunt. Attamen imprudenter & impudenter dignoscere & discriminare se vulgo affingunt, eique falsò ad deceptionem & perditionem facilè persuadent, quem sciunt, omnes sibi aliorum morbos tribuere, iisque affici aut similibus.

Apud eos inextricabiles sunt morborum, causarum, symptomatum, & indicationum permistæ complicationes & labyrinthi: quæ prima, quæ media, quæ postrema consideranda: quorum sint potiores, potentiores, vrgentiores, & instantiores potestates & vires: quæ antecedentes, quæ consequentes, quæ concurrentes simul, vt emendentur & amandentur, nesciunt habentque omnia promiscua & ἀδιάφορα.

Apud eos, partes quæ aliis compatiuntur, semper primariò creduntur affectæ: quia compassionum differentiæ sunt illis res nouæ & incognitæ. An ergo topica sua superis partibus conferent, quæ compatiuntur inferis primariò affectis? An non ergo operam ludunt suam & oleum perdunt?

Apud eos dolorum omnium, profluuiorum alui, vigiliarum, & huiusmodi symptomatum granula narcotica vulgaria sunt iis in vsu communi, nulla ratione habita causarum, circumstantiarum & distinctionum quas ignorant. Boni quidem præsentis rationem tantum se habere dicunt, nullam verò emergentis damni inemendabilis.

Apud eos, vt apud vulgus, vires etiam primis morborum diebus & temporibus creduntur fractæ & exolutæ, quas vigesimo etiam morbi die inuenit & obseruauit Galenus oppressas & grauatas, vt egre-

gij quique Medici quotidie experiuntur in grauissimis morbis & symptomatis, vt choleræ, immoderatissimi susdeque effluuij, contractionum dolorificarum, extremorum perfrigeratorum, ἀσφυξίας, deliquiorum animi; quæ tamen sæpe phlebotomia etiam repetita sedat; quod indicium est inflammationis internæ, quæ retracto ad principia vitæ sanguine vires obruebat: eo verò detracto manu parca, sed repetita, natura adjuta calidiusculis aquis aut fomentis extremorum, momento recreantur ægri, & contra spem omnem à morte resurgunt.

Quis ergo non conjiciat per istos Medicos innumeros ægros eripi & tolli de medio, suffocatos & extinctos, magnorum remediorum phlebotomiæ & purgationis opportunæ inopia, omissione & defectu, quam vulgo & compendiariis hisce virium deiectarum falsa suspicio imponit quotidie, & ægros in certa vitæ pericula & damna dejecit. *Sanguinem incisa vena mittere, nouum non est*, inquit Celsus. *Sed nullum esse morbum, in quo non mittatur, nouum est.* Hoc diuino motus genio ad hominum salutem & ad Medicorum istorum confusionem proclamauit. Etenim Hipp. tempore detrahere grauidis mulieribus, senibus & pueris nouum erat. Sed Celsi tempore nec quæ ætas, nec quid gestaretur in corpore, sed quæ vires essent considerare cõducibilius fuit. Quo etiam eodem ipso authore præclarè assertum est, nihil in particularibus rerum medicarum actionibus esse perpetuum. Quod vt iustum fuit Celsi seculo, quo intemperantia summa pleniorem sarcinam cumulabat: sic iustius adhuc nostro solo & cælo, quo eadem licentia plethoram & cacochymiam copiosiorem generari & adaugeri permittit, & ratione vacuationis plenius, ad deplendam sanguinis sarcinam, aut

reuulſionis & deriuationis occaſione; largiùs in reuulſione à longinquo, parciùs in deriuatione à vicino fonte inſtituendæ: aut aliquando ſolius refrigerij & ventilationis procurandæ ratione, qua parciùs emittitur.

Fuit ſemper, & hiſce adhuc magis temporibus intemperantioribus, quàm antiquis frugalioribus phlebotomia potior & ſalutarior: quæ tamen compendiariis Arabiſtis, & falſis aliis & Empiricis, qui eius vires & vſum aut neſciunt, aut animo malè diſſimulant, formidabilior & criminalior perhibetur, quia ſunt particularium omnium ignari & vniuerſalium tantum cauſarum ſcioli.

Cum vtraque plenitudo ad vires & ad vaſa grauat, opprimit, vaſa diſtendit, ſuffocationem portendit, cum inſignis & ἀλλόκοτος putredo inualeſcit, ſingulis momentis maſſam corrumpendo ad extremam perditionem ſubſtantiæ, cum febres vrgent ardentiſſimæ, dolores premunt vehementiſſimi & acutiſſimi, inflammationes partium principum generantur & metuuntur, præceps & præſens exitium; quid aptius larga ad lipothymiam ſanguinis euacuatione ab initio celebrata? An videas Arabiſtas & compendiarios imitari & facere, quæ Medicinæ principes præcipiunt, vt principia putredinis, inflammationum & febrium intercipiant, & ægros momento, & eodem ipſo die liberent?

An non in cutaneis eruptionibus febrium putridarum, malignarum, eryſipelatum, variolarum, exanthematum ſanguinem mittere, eſſe humorum coctiones intercipere, eſſe cauſas morbificas in interiora retrahere, ſcripſerunt? Quaſi verò æſtuans initio bilis, aut etiam per totam maſſam diffuſa putredo, vel labes eius aliqua parte accenſa cer-

tiori fræno inhiberi, coërceri, & restingui possit, quam materiæ iam labefactatæ & corruptæ euacuatione? Quasi eius materiæ vitia, aut putrentis, aut iam putrefactæ securius & salutarius castigari, orgasmi humorum citius reprimi, feruor & corruptela potentius cohiberi, præsentius ad temperiem & moderationem reuocari possint: quam tempestiua materiæ febrilis tam efferæ & indomitæ, tam immitis, nec vlla coctione mansuefactæ, nec secretæ ad euacuationem criticam & salutarem, per phlebotomiam missione? Quasi ignis ardor sedari & frangi citius possit vlla aquæ affusione, quam pabuli, id est ligni subtractione, cum deest par & æqualis alia refrigerandi facultas, appositio, & oppositio? Quasi humorum contemperatio & coctio seu maturitas faciliùs, fœliciùs & celeriùs procurari possit, quam postquam maior substantiæ corruptæ portio, quæ naturam opprimebat, suffocabat & obruebat, est exhausta? An non pars reliqua, cum parcior est & sarcina leuior promptiùs à natura subigitur & edomatur, & die critico excernitur? An non contrarium accidit, si arte non fuerit tota detracta & rejecta? Quasi non sit omnis excretio initiis morborum symptomatica, inutilis, aut mortis, aut ἀκρισίας præsaga? Ideoque tempestiua euacuatione per phlebotomiam arte emendanda & anteuertenda, quæ tutior est quam vlla alia?

Sed cum in iisdem putridis febribus & morbis illis, quos ipsi occultos fingunt & existimant, quandam astruunt malignam & occultam putredinem occultis remediis oppugnandam, cur à principum magistrorum Medicinæ sententia & veris, certis, rectis & probatis remediis recedunt? Qui vt non aliam agnoscunt, quam manifestam, cuique corpori pro-

priam putredinem: sic solis manifestis per se, aut per accidens remediis eam intercipiunt, frangunt, emendant, reducunt, superant & vincunt.

Si massam sanguinis putredo labefactauerit & corruperit, per detractionem; si extra vasa turgens excurrerit, vt perdat partem & inflammet eam, per phlebotomiam; aut etiam si non constiterit humor, per analogam purgationem.

An pars sphacelo siderata, ne partes aliæ trahantur in ruinam, alia ratione quàm resectione curanda est? Quæ tunc spes ab antidotis, occultis, arcanis, specificis, sympathicis, antipathicis, cardiacis, margaritis, & bezaardicis? An vlla par & æqualis celeri euacuationi per vtrumque generosum remedium sanatio? Cùmque consummata est substantiæ cuiusvis corruptio & destructio, an non inutilis, futilis & vana est quæuis per qualitates alteratio & insperabilis renouatio vlla, cùm in sola partis amputatione, aut euacuatione corruptæ materiæ posita sit salutis spes & anchora?

Cum crassi, lenti, multi, & varij humores viscera infarciunt, inficiunt, opplent, distendunt, inflant sæpiusque inflammant & febres accendunt: an coquendis crudis, incidendis lentis, attenuandis crassis, diducendis ductibus, aperiendis viis, soluendis infarctibus & tollendis impedimentis incumbunt, & apertionibus venarum crebris sorbitiones conuenientes intermiscent? Minimè vero. Communis Arabistarum vsus aliter obtinet, nempe vt purgationes maximis ægrorum damnis intempestiuas instituant, incocta moueant & agitent, nec solùm vllo fructu purgent, sed naturam omnino turbent & eam à pepasmo auocent, & incendia interna sæpius tam adaugeant, vt celerrimè vitæ terminum accelerent.

ios| ios|
+ biliosis

Contrà verò cum tenues, & liquidi ichores, qui natura sua biliosi sunt, immites & acres, atrabilariis acriores, pituitosi mites, sanguinei mitiores inania partium morbosarum opplent spacia, quique per febres adhuc fiunt ferociores & virulentiores, nulliusque ideo coctionis, nullius separationis partium heterogenearum participes, malignitatem substantiæ tantam adipiscantur, vt suis non consistentes conceptaculis, turgeant, erumpant & quoquouersum ruant, excurrant, diffundantur & dissiliant in orgasmos, in inflammationes, in μελασμοὺς, in κιῤῥώσεις, aut in abscessus?

An in istis sequuntur Hippocratem & Galenum duces, qui ὀργῶμενον analogo purgante medicamento statim ab initio vtendum præcipiunt? An isti sic salutarem ex purgatione successum promittunt, vt hæc mala vitent & præueniant?

Absit verò, cùm potiùs quæ mala notauimus feriando accersant, quæ vnica aut duplex tempestiuè vsurpata catharsis initio totam morbificam causam extraheret. Axioma est iis tritum omnibus. Sed satis illis est indistinctè generalia, communi vsu medendi consueta, ad ægros deferre consilia & auxilia, nec vnquam descendere ad particularia, diorismis definita, vt sint vera, certa & innoxia: nec curare si sint noxia & fatalia. Axioma vulgare est, & commune omnibus, plenitudini deberi sanguinis detractionem, cacochymiæ purgationem, quod prophylacticum tantum esse credunt remedium, therapeuticum verò negant. Deus bone! quanta generale hoc dogma indefinitum & indististinctũ, damna tulit? Cogit tamẽ eos veritas fateri tandem illud tam ad ægros, quàm ad sanos, tam ad curationem morborum, quam ad sanorum tutelam & custodiam spectare, referri & pertinere;

tinere: illudque in particulari quibus, quare, quando, quantum, quoties & quibus modis sit intelligendum & vsurpandum, vel ignorare, vel peruerso iudicio statuere, vel animo malo præscribere & determinare. Sed exemplo id euidentius declaremus.

Proponatur Parisinus aliquis, qui ab iis sanitatis tuendæ rationem postulet sibi veram, certam & integram: aut qui morbi alicujus veram & certam pariter curationem & sanationem requirat. Attendite precor, quæ sint istorum semidogmaticorum quæsita. Quouis pignore certauero, si apposite ad ea omnia, quæ ad benè dignoscendum, prædicendum, conseruandum, sanandum, iudicandum & præscribendum sunt necessaria quærant & satisfaciant. An etiam præcipua ista, prima & summa capita veritatis inuestigandæ cogitauerint sibi proponenda & præmittenda, cuius sit conditionis vitæ, & cuius sit sanitatis differentiæ definitæ Parisinus, vt vtriusque istius summi generis in suas species intermedias, vsque ad postremas numero indiuiduas, persequantur.

Ac primùm de sanitate, an sit perfecta, aut imperfecta & morbosa. Si perfecta, an sit exquisita ratione, aut ad sensum. Si imperfecta, an semper, an plerumque malè affecta. Si semper, an similarium partium, an organicarum, nobilium aut ignobilium, principum, aut ministrantium, omnium aut paucarum. Si æqualis, aut inæqualis, si à principiis sit ingenita aut aduentitia. Si recens, aut inueterata. Si per se, aut per consensum. Si simplex, aut composita, cum aliqua causa aut nulla, aut pauca aut multa, confluente adhuc aut iam congesta, tenui aut crassa, calida aut frigida, cruda aut cocta, benigna aut maligna, alterata in qualitatibus aut in substantia sua corrupta, in principio, incremento, statu aut declinatione.

Conditionis vitæ aut liberæ, aut ſeruilis & ſubiectæ, aut ſibi ſoli, aut alteri.

Sibi, aut in exercitiis & laboribus, aut in voluptatibus, cupiditatibus & appetitibus propriis.

Alteri in mandatis, obſequiis, aut ſine aut cum aliqua intermiſſione & remiſſione.

An diuiſiones omnes recta via ſecuti ſint vſque ad vnam propriam numero indiuiduam, à qua rerum agendarum depromant indicationem veram & rectam, vt Pariſino ſatisfaciant?

Sed ne quidem hæc ſufficient, niſi inſuper combinationes haſce ſecuti ſint, nempe ſanitatis Pariſini perfectæ, aut imperfectæ, cum conditione ſubiecta aut libera. Si namque Pariſinus perfectæ & firmæ fuerit ſanitatis & liberæ conditionis, non aliis indigebit artis ſubſidiis, ſed ſolis naturæ regulis & auxiliis relinquetur, quæ ſi ſequatur, nec auertatur erroribus vllis, natura ſola ei ſufficiet pro omni medicina. Si infirmæ ſit ſanitatis & morboſæ, & conditionis vitæ ſeruilis, à qua remittere aut intermittere quidpiam nec velit, nec poſſit: nemo dubitat Pariſinum illum, vt in tali caſu facit Galenus, eſſe ἀγαθῇ τύχῃ committendum. Quis enim nolenti beneficium conferat, & pluſquam Deus efficiat, qui ſaluari nolentes deſerit? Si vero ſit ſanitatis firmæ, ſed ſeruilis vitæ conditionis, qui aliquid remittere de ſeruitute, & parere conſiliis voluerit & potuerit: Aut ſi morboſæ & infirmæ ſit valetudinis, conditionis vero liberæ. Iſtas diſtinctiones vniuerſales & particulares exactè in Pariſino eſſe definiendas quis Medicus verus dubitet? quas Arabiſtam Medicum aut ſemidogmaticum non quæſiturum, auſim vitæ periculo affirmare; ſed nec aliud, quam quicquid in buccam venerit, preſcripturum, aut quæ ipſe expertus ſit ex accidenti vtilia,

+ Lis solis opus medico

aut quæ opinio temeraria, aut iudicium ignorantiæ tenebris circumfuſum ſuggeſſerit, aut ficta & fallax hiſtoria ſuppoſuerit, reſponſurum, & ficta, & ſola ambigua, falſa, dubia, infida, vt Sibyllarum reſponſa, cõfuſa, indiſtincta, inconſulta, ſæpiùs vulgaria communiter dicta definiturũ, cuiuſmodi ſunt hæc: omnia eſſe ſana ſanis, contraria contrariis ſanari, ſimilibus ſeruari, pleniorem victum parciori & tenuiori præferri, meri potionem ſanguinem copioſiorem & laudabiliorem generare, & id genus vniuerſalia Pariſino, multis limitationibus determinata dięetica, pharmaceutica & chirurgica pręſcripturum. Non eſt ergo quòd ſperanda ſint ab his, quam generalia ægris dari conſilia aut præſidia, ſemper futura noxia.

Alterum profero exemplum. Si mulierculæ, aut ſteriles, aut fœtæ, aut puerperæ conquerantur apud eos de euanidis conceptionibus, de geſtationibus moleſtioribus, de abortionibus calamitoſis, de difficilioribus parturitionibus, de menſtruis deficientibus, de lochiis ſuppreſſis, de ſterilitate.

De infantulorum torminibus, de conuulſionibus, de aſthmate, de dentitionibus, de herpetibus, de vigiliis, de nutricum delectu, de lacticiniis, de vſu pulticularum, de ablactatione: Ipſæ certè agnoſcunt Medicos illos tam inertes & imperitos, tam triobolares & ineptos, vt in iſtis affectionibus nihil melius, quàm quod ſagæ, obſtetrices & clinicæ referant, quam quod aliæ mulieres in iſtis caſibus ſoleant, & conſulant, nullis diſtinctionibus eorum quæ à natura, à morbo, ab internis aut externis cauſis proficiſcuntur exploratis, ſolis iſtis inſiſtere, plebeculæ ritu, generalibus, nec vltra captum vulgi ratiocinari, ſemper mendaces, Medicos nuſquam. Dicam amplius, vix vnquam vltra animantium facul-

tatem sapere, quæ etiam vniuersalia & communia peræquè norunt.

Audias eos in externis & cutaneis infantulorum & prędictis illis affectionibus, dicere cum mulieribus, ea esse congenita & familiaria ætati, sinenda esse, & exteriùs ferri, quàm sanari, melius esse. Lacte quouis nullo delectu esse educandos infantulos, nutrices quasvis quibusvis naturis esse idoneas, nulla lactentium accidentia lactantibus esse accepta referenda, omnia à dentitionibus.

Eos primis etiam diebus pulticulis esse saginandos, & per pulticulas à torminibus esse sanandos & demulcendos. Vnde fit; vt hisce temporibus nulla quęrantur prædictarum affectionum seu puerperarum, seu fœtarum, seu sterilium, seu puerulorum à Medicis, sed à mulieribus aliis, aut sagis, aut clinicis remedia: Quia ab omni memoria obseruatum est, Arabistas & compendiarios in iis non magis sapere, & de iis non melius iudicare, quàm idiotas & profanos. Idem de reliquis aliis ætatum, sexus vtriusque morbis iudicium facilè ex iis lector æquus feret & quantum illi sint in rebus naturalibus, non naturalibus & contra naturam, corporum, affectionum, causarum, signorum, remediorum, & vtriusque methodi seruandi & sanandi per diætetica, pharmaceutica & chirurgica, in tempore, mensura, qualitatibus & modis, proportione, præparatione, & aliis essentialibus circumstantiis infantes, inertes, ignari & imperiti atque etiam improbi, non dicam in particularibus, sed etiam in generalibus, maximè cum vniuersalem & communem, vniformem, perpetuam, penè semper similem, aut eandem morbis omnibus, sine particularibus vllis differentiarum & distinctionum generalium notis adhibent medelam.

Nullam inæqualem inæqualibus, magnis magnam & fortem, leuioribus leuiorem, extremis extremam, sed omnibus indifferentem, indefinitam, indistinctam, qua sæpe leuiter affectos ęgros deploratos reddunt, & leues morbos graues & insanabiles, sępiusque tam fallaciter, quam insciè deploratos & insanabiles, natura & sorte morbos & ægros, fælicis euentus promissione attingunt & suscipiunt sanandos: hecticas febres confirmatas, phthises, hydropas, scirrhos, epilepsias, vlceratos cancros, ipsammet elephantiasim, dysenterias ab atra bile & alios huiusmodi, quia non alio more, quam Empirici, qui sanabiles à desperatis ~~curationes~~ + non internoscunt & discriminant, + affectus aut malo animo ægros inescant, vt eos viuos conficiant & interficiant.

Quantum ergo suo communi, vniuersali, vulgari, & perpetuo malè medendi vsu & ritu, quem ignorantia etiam rerum generalium, innumerarum, & consuetudo praua, aut etiam malitia omnibus ignaris innata, subministrat, vt constanter perseuerent, & quantum in omnibus, quando, quibus, quoties, cur, quomodo, qua proportione, qua præparatione, quo ordine, quibus indicationibus, quibus distinctionibus & limitationibus cuique propriis sine ratione & methodo assiduè peccent, demonstrare neotericorum authorum quorumdam testimoniis pergimus.

Notat Cardanus, suo tempore singulas ferè ciuitates suum habuisse morem, vt initiis morborum inciperent à purgatione per cassiam, Veneti per diasebesten compositionem aut lenitiuum, Ferrarienses per catapotia, Hispani per triduanam diætam ex solis pomis, quam regularem & canonicam vocabant. Quem ritum tam constantem & immutabilem fuisse, vt ad aniculas, ad tonsores, ad pigmenta-

rios & ad quosvis transiret: Ideoque ridendos esse Medicos, & explodendos vt iniquiores cerdonibus, qui cuiusque calciandi modum & mensuram ex pedis naturali magnitudine & paruitate designant: Medicos verò nullam naturæ & morborum particularium ægrorum regulam etiam ab ipso medendi principio sequi, & nescire in cuiusque ægri & morbi natura & accidentibus nihil esse idem, nec ab omni parte simile & perpetuum. An ergo in acutissimis tardare per cassiam aut triduanam diætam, & analogis non vti remediis initio bonum? An in diuersis naturis causarum & morborum communis omnibus ratio potior? An non potius sua cuique propria seruandi & sanandi conuenientior est? An non vt in curandis ægris, sic in cibandis & alendis deterior est, quo ęqualior & communior? an non potius sua cuique propria est melior? An hora tertia quaque interdiu noctuque jusculum, aut vitellos ouorũ haurire & sorbere cõmuniter, vt fieri solet, salubrius sit, quàm singulis pro natura ægri & ęgritudinis tempore particulariter definire quantitatem, qualitatem & modum? nulla distinctione facta tenuis, tenuioris & tenuissimi? inititij, incrementi, vigoris & declinationis morbi; acuti, acutioris & acutissimi? aut longi, longioris & longissimi? & ista clinicis mulierculis distinguenda & definienda relinquere, vt naturam onerent, plus æquo opprimant & suffocent, & cum viribus vitam obruant, aut tot culinarum irritamentis & consumptis, expressis, gelatinis, panatellis & dulciariis vt inflammabilioribus, saturi citius intereant: ne parciore diæta & temperatiore, hordeaceis sorbitionibus, citius aut tardius & longius coctis, Hippocratis more, iuuentur & sanentur.

In potulentis, eadem semper vti ptisana? non il-

la antiqua,ſed ex ſola liquiritia,vt momento putreat & bileſcat? ſemper abſtinere à vino etiam aquoſo, albo, in quauis ætate, morbo, natura, conſuetudine, tempore, cruditate?

Quid?quod in vſu vulgari mordacius tenent & ſalubrius exiſtimant, populo gratius proferunt & prędicant, quàm ſemper acclamare malignitatem cardiacis eſſe impugnandam, & principium vitæ cor eſſe ſuis pręſidiis occultis, ſpecificis arcanis, antidotis, raris & caris, aut inanibus aut vanis, aut venenis, aut venenatis muniendum?

Ne putes eos noſſe cardiaca manifeſta, quæ cordis ἰσχὺν & tonum principum partium firmant & roborant, quæ ſpiritus & vires reparant, quę putredini eiúſque cauſis reſiſtunt & aduerſantur, quæ externum calorem temperant, quæ ſuperfluas humiditates & ἰχῶρας malignos abſorbent, quæ tetros & peſtiferos flatus & exſpirationes reſoluunt, eaque diſcriminare poſſe à ſuis deleteriis & venenatis alterantibus & catharticis pharmacis, quę ſępiùs vitę principia & fundamenta demoliuntur, quàm recreent & reficiant.

Sed non ſolum in iſtis ſuis leuioribus communiter falluntur & fallunt, verùm etiam in validis duobus generoſis & principibus remediis grauiſſimè peccant, cum in omnibus acutis & longis morbis, in omnibus cauſis, potiſſimũ internis, & humoribus qui coctionẽ non admittunt, & in omnibus ęgrorum naturis, ſeu infirmis ſeu validis, vtrumque generoſum remedium initio aut prętermittunt, aut differunt, & in ſuis inanibus cardiacis tempus agendi momentaneum & occaſionum opportunitates omittunt, aut parcius vſurpant, & longius differunt, vt inflammationes, abſceſſus, partiũ corruptelas, νεκρώσεις

vel repentinas extinctiones aduocent, & locum inualescendi ad interitum prębeant.

Et quemadmodum nihil iniquius in omni tempore cruditatis, quam vehementer & fortiter purgare, & cum turget humor serosus malignus, nulla coctione mitificandus, initio nihil iniquius, quam leuiter & parcè cum eo agerę per vtrumque generosum remedium, qui vel αὐθήμερον, aut paucis interiectis spatiis largiùs sit euacuandus; sic nihil iniquius, quàm machinas adhibere fortissimas pharmaciæ & chirurgiæ, vbi solius diætæ ratio sufficere possit.

Apud eos obseruari ἐμμετρίαν catharticorum ne credideris, qui ne quidem quid sit agnoscant; nec qui tenues sint humores, qui crassiores: quæ in eorũ euacuatione seruanda sint; quando hi, quando illi, simul aut seorsim, quoties & quantum, quando seriùs, quando citiùs purgandi: quæ leuia & momenti minimi, quæ grauia, seria & periculi plena: quæ artis, quæ iudicij ab iis ne speres. In leuibus accuratos videas, in magnis segnes & torpidos, menthã & anethum decimare, culicem transcolare & camelum deuorare; grauia in Medicina peccata, velut aquam, largis haustibus sorbere & deglutire; leuissima, velut montes horrendos, effingere.

Sed ne sim longior, quis non videat quantis falsitatibus scientiam Medicinæ obscurent, quanta infamia artem & professionem deturpent, quantam publicæ & priuatæ ægrorum saluti iniuriam & vitę ruinam adferant, quantis criminibus conscientiam suam maculent, quantum fallant & fallantur? An non sępiùs videas deplorare & desperare suos ægros, quos rusticus aut muliercula, aut triobolaris empiricus fortuitò liberauerit, aut qui sponte sua, datis induciis, & nullis adminiculis & remediis sanentur? An

non

non istis euidentissimè probatur, eos sępissimè nihil agendo multum prodesse, aut cùm agunt obesse nocentissimè?

Sed ne quid falsum attulisse videamur de falsis medicis & ministris, eorumque ignorantia, imperitia, falsitatibus, erroribus, fallaciis, vitiis & maleficiis, per causas & per effectus comprobatis; videtur æquum esse, clarissimorum aliquot Medicorum testimoniis & authoritatibus ista confirmare: quæ cum viderent esse censuræ rigidæ & seueræ reformationis dignissima, Græcorum Medicinæ principum documentis veris, & sanitati & vitæ hominum aduersa, ad ea declaranda, notanda & corrigenda sese contulerunt. Quorum primus erit Brissotus, Medicus Parisinus & regius professor, summus Philosophus & in vtraque lingua latina & græca disertissimus, qui circa annum 1470. cum explorasset doctrinam veterum Græcorum per Arabas fuisse omnino corruptam, disciplinam deprauatam, memoriam eorum obliuionis tumulo pridem sepultam, monumenta græca deficientia, aut cremata incendiis bellorum, aut per multa sæcula terrarum situ, pædore & squallore exesa & vetustate exoleta, nulla reperiri: Collegas suos & totius Europæ Medicos in isto ignorantiæ, errorum & corruptionum arabico cœno & fæculento lacu barbariei iam pridem delitescere, consenescere, immorari & emori, à recta methodo principum Medicorum, & ab operibus artis totos alienos & auersos, oculis mentis cæcos, pedibus & manibus resolutos, ratione, iudicio, peritia & causarum notitia destitutos, cœpit ex ruderibus eruere, quos potuit codices græcos, latinos recuperare, sordidos tergere, putidos euentilare, latinas versiones cũ græcis conferre, corrigere, emendare, lacunas replere, genuinos sensus restituere, recudere, viuos reficere qui per-

ierant; ex iis fontibus purioribus ſitim inexhauſtam, explere in bene docenda & facienda Medicina ad modum Medicorum principum antiquorum, totum ſe componere ſtuduit.

Maximè verò incepit ab errore illo arabico fatalique, communi inter omnes totius Europæ Medicos etiam Pariſinos Collegas ſuos, quos in pleuritide ex oppoſito latere, non è directo partis affectæ ſanguinem mittebant; quem cum rationibus, authoritatibus Græcorum, & effectis fœlicibus oppugnauiſſet, & ſuos Collegas ad rectam curationem reuocaniſſet, mirum quanto gaudio eam medendi rationem ſalutarem, experimentis tam certis confirmatam amplexi ſunt, & quantum hic filium ſuum, ille parentem, alius vxorem, cæteri ſuos amicos ægros, arabica hæreſi ereptos deplorauerint, quos methodus rationalis Hippocratis ſuperſtites reliquiſſet.

Ipſe idem Briſſotus cum eſſet profectus in Luſitaniam, & ad Regem Luſitanorum pleuritide correptum vocatus eſſet, confiſus in ſuæ ſententiæ veritate & certitudine eam tam conſtanter ſuſtinuit, vt licet multas turbas Medicorum contra ſe concitauiſſet, obtinuit tandem, vt Regem ab imminenti periculo remedij & morbi liberauerit, & tandem Luſitanos & totius Europæ Medicos arabicos ab errore illo veteri retraxerit per apologiam, quam publicam fecit, ad magnam nominis ſui & rationalis Græcorum Medicinæ veræ, puræ & certæ gloriam, qua ſanguine miſſo è directo brachio affecti lateris ſimul antecedenti & coniunctæ cauſæ, reuellendo & deriuando, tam ſatisfit, vt vix vnus ex multis intereat, cum vix vnus ex innumeris per ſectionem oppoſitam liberaretur.

Briſſotus alia pleraq; aliena à vera, generali & par-

ticulari methodo rationali notauit, Collegas ad eadem praua documenta Arabum obliteranda prouocauit, aliosque Dogmaticos inuitauit ad eadem suffocanda portenta: exultauitq; cum Collegis suis Auicennam & similes Arabistas Medicos è schola Parisina se exegisse, & veritatem ac libertatem rationalem Medicinæ à tyrannide arabica vindicauisse.

Cuius certe quæsitæ & partæ victoriæ se socios postea militiæ iunxerunt Fernelius, Syluius, Hollerius, Tagautius, Gormelenus, Dureti, Riolani, Petræi & alij plerique puræ Hippocratis & Galeni doctrinæ hæredes ex asse Parisini, & alij aliquot aliarum Facultatum egregij Medici, quorum studiis & operibus ex Arabica sentina, tanquam à lerna & palude malorum, magna ex parte repurgata est, & ab eo tempore sensim in schola Parisina nominis Arabici euanuit recordatio, & sexcenta id genus fatalia & praua dogmata falsa in schola emendata sunt & ab ægris amandata.

Briſſotum in eodem studio & proposito præcesserat Guido à Cauliaco, Vrbani V. Pontificis Medicus Monspeliensis, qui Chirurgiam profanatam à mechanicis pertæsus ante trecentos annos inuentarium fasciculum Chirurgiæ flosculorum fragrantissimorum ex viridariis Hippocratis, Galeni, Pauli Æginetæ & aliorum Græcorum, Celsi & aliorum Latinorum collectum, naribus Medicorum totius Europæ sui temporis odorandum admouit, & oculis lustrandum & legendum subjecit, vt eius suauitatibus recreati in suas manus Chirurgiam à ministris fœdatam & prostitutam retraherent, eamque, vt antiquis temporibus, manibus propriis solebant, curiosè colerent, & ad ægrorum suorum vtilitatem & securitatem salutiferè exercerent, eamque in pristinam gloriam suam rele-

uarent tam miserè dejectam.

Conditiones quæ requiruntur in Chirurgo notauit quatuor, quas hic vsi verbis ipsius adscribimus, vt notum sit Medicos Arabas fuisse animo suo valdè delusos & deliros, qui Chirurgiam manuariam suæ mentis & manuum dignitati injuriosam & ignominiosam esse censuerunt. *Prima est*, inquit, *quòd sit literatus. Secunda, quòd sit expertus. Tertia, quod sit ingeniosus. Quarta, quod sit morigeratus.*

Literatus (inquit) *non tantum in principiis Chirurgiæ, sed etiam Physicæ, tam in theorica quam in practica. In theorica oportet quod ipse cognoscat res naturales, & non naturales, & contra naturam. Inter res naturales præcipuè Anatomiam, nam sine ipsa factum est nihil in Chirurgia. Deinde etiam complexionem, nam secundum vniuersitatem naturæ oportet diuersificare medicinam. Res etiam non naturales, vt sunt aër, cibus, & potus; somnus, vigilia; motus, quies; excreta, retenta; perturbationes animi: nam istæ sunt causæ totius ægritudinis & sanitatis.*

Oportet etiam, quod cognoscat res contra naturam, morbum scilicet, causam & accidentia. Morbum, nam ab ipso sumitur intentio curatiua: Causam, nam sine cognitione causæ curatio non esset artis, sed fortunæ: Accidentia, nam aliquoties ipsa suam causam superant, & totam naturam præuaricant & peruertunt.

In practica oportet, quod sciat diætare, pharmacare, nam sine istis non perficitur Chirurgia, quæ est tertium instrumentum Medicinæ, vt pharmacia & diæta sunt alia duo: quæ tria, vt ait Galenus in introductorio, sese inuicem iuuant. Sic ergo patet, quod oportet ipsum Chirurgum artificialiter operantem scire principia Medicinæ & aliquantulum aliarum scientiarum.

Si enim, inquit, *vt dicebat Galenus contra Thessalum, neque Astronomia, neque dialectica, nec aliqua alia doctrina bona egerent Medici, prompte coriarij, carpentatores,*

fabri etiam cæteri, dimittentes artes suas, currerent ad Medicinam, & efficerentur Medici.

Secundò dixi, quod oportet quod sit expertus, & viderit alios operari, iuxta illud sapientis Auenzoaris, oportet vnumquemque Medicum priùs scire, deinde vsum & experientiam habere.

Tertio, quod sit ingeniosus ac boni ingenij, siue iudicij, id est rememorationis, bonæ solertiæ ac bonæ visionis, & sani intellectus, cum bonitate formæ, vt supple quòd habeat digitos graciles, manus firmas, non tremulas, oculos claros.

Quarto dixi, oportet quod sit morigeratus, sit audax in securis, timidus in periculis, malas curas fugiat, sit infirmis gratiosus, sociis beneuolus, cautus in prognosticatione. Sit castus, sobrius, pius & misericors, non cupidus, non extorsiuus, sed secundum laborem suum & facultatem infirmi & qualitatem finis, & dignitatem ipsius salaria recipiat moderatè.

Ex paucis hisce clarè videre est, Chirurgos nunquam fuisse & potuisse esse quam Medicos: & ministros, qui quouis tempore non fuerunt alij, quàm illiterati & mechanici, nunquam fuisse & potuisse esse Chirurgos, vt suo loco cum de ministris agemus, seorsim demonstrabimus: ideóque Arabistas Medicos, qui Chirurgiam abiurauerunt & in ministrorum suorum manus deposuerunt, fuisse arti, ægris, sibi & saluti publicæ prorsus ignominiosos, iniuriosos, noxios, & omnino aduersos, culpa graui & pœna capitali coram Deo & hominibus damnandos.

Syluius, vno alterove ferè post Guidonem sæculo, pari scutica aut ferula seueriori Medicos censuit dignos, in quos inuectus est & crassæ ac supinæ ignorãtiæ rerum pharmaceuticarum, seu partis aut instrumenti secundi therapeutici reos acriter damnauit *in epist. præfixa in lib. Gal. de simpl. med. del. præp. & mist.*

Vt rectè est veterum more celebrata sententia, quam quisque nouit artem, hanc exerceat vnam atque excolat, & totus in ea versetur: sic rectè nunc pronunciari posse mihi persuadeo. Id quod si diligentius hodie obseruarent homines, non tam multi repentè fierent Medici, nulla dum Medicinæ parte illis probè obseruata, cum tamen esset è re ipsorum, sed magis etiam ægrorum, si nullum omnino affectum susciperent curandum, quem non antè obseruassent à præceptoribus curatum. Quam rectè cum ægris ageretur, si hac ætate qui Medicinam factitant, sic essent sub præceptoribus instituti affectus cognoscere, illis occurrere, futura prænunciare! Non medius fidius per hominum mortes experimenta sic agerent imperiti, adhuc rerum omnium suarum rudes Medici, tam quæstus auidi, vt quid eos deceat ignorent, quid famam perstringat nesciant, vt interim animæ detrimenta taceam. Vbi enim medicas nescio quas præceptiunculas memoria didicerunt, ac medicamentorum certas quasdam scripturas; se Medicos profitentur. Illis est satis scire antidotum Catholicum v. g. humorum redundantiam vacuare, cùm ignorent quibus & quanta singulorum mensura constet, quæ singulorum sit facultas, quæ eorum cum illis sit: eademque in cæteris medicamentis compositis vtuntur ignorantiæ impostura. Quid per Deum immortalem hoc hominis portento se Medicum mentiente est reip. pestilentius? Quod nota censoria dignum magis est facinus? cur leges cessatis in hos carnifices vt meriti sunt, animaduertere?

Hi enim sunt, quibus se Medicos falsò profitentibus statim ac perperam à rudibus creditur. Hi sunt, in quorum mendacio peccatum est maximum. Hi sunt, qui Medicinam discunt facere periculis ægrorum, & per horum mortes experimenta agunt. Hi sunt, quibus occidisse hominem impunitas est summa. Hi sunt, quorum inscitiam capitalem nulla adhuc lex puniuit, & quorum vindictæ ac animad-

uersionis nullum adhuc extat exemplum, uti pulchrè pariter ac verè dictum est à Plinio. Proh Deum immort. tuum imploro numen, ne sanctum hoc donum tuum Medicinam ab hisce profanis pollui & nefariis huiusmodi totius naturæ hostibus conspurcari, & publicis pestibus venenari patiare.

Sed ne quis existimet, Syluium ex prædictis aut semidogmaticos & ignaros Medicos, aut Arabistas, aut Empiricos solum insectari, sed etiam legitimos & genuinos: sic pergit. *Iam ergo explosis circulatoribus istis, rem medicam sincerè tractaturo, non soli pharmacopœo necessariam esse hanc Medicinæ partem, quæ simplicia deligit, ad compositionem præparat & denique fœliciter commiscet, docere aggredior.* Vbi obiter notandum, pharmacopœos vocatos fuisse ab eo tempore, quo Medici φαρμακοποΐαν dimiserunt suis ministris pharmacopolis, quos hic arguit vt inertes & ignauos. *Si enim,* inquit, *pharmacopœi fides tibi suspecta est, velisque ob id ipsi simplicia deligenti, præparanti, miscenti adesse, quid ex hoc studio emolumenti consequere, nisi hæc tu vt ille pernoscas? Imo quam tibi infamiæ notam imprudens inuris, dum ignarus horum simplicium medicamentorum, tanquam asinus quidam, ad omnia eius rogata auribus motis velut annuis? Quid? quod tibi sæpe etiam volens, pharmacopœus illudit & mea sententia iustissimè; dum coryli nucamentum pro pipere longo ostentat, dum centaurij magni radicem pro rhapontico, dum acorum palustrem nostrum pro indico & vero porrigit: pro elleboro autem nigro Arabum napellum aconiti genus, hodie ab omnibus prope pharmacopœis substitui quis ferat? An non hæc est communis vtrique medicamentariorum & aromatariorum ordini ignorantia & culpa? Venia dignior est impostura, cùm aristolochiam clematitim nobis frequentem, pro duabus aliis rarioribus supponunt. Indignior, cùm scammo-*

Epist. ad lect. de medic. simp. del.

nium crudum pro cocto miſcent, aut largiùs quam ſcriptura medicamenti poſtulet, medicamentis immiſcent, aut etiam cùm alicuius ex tithymalis lac miſcent pro ſcammonio. Quæ errata cæteraque omnia in medicamentorum miſtione committi ſolita ſi vellem perſequi, longior Iliade noſtra procederet oratio.

At vt donemus Medico ad componendum nihil opus eſſe iſta diligenti in ſimplicibus medicamentis deligendis, parandis & miſcendis exercitatione pharmacopœo commiſſa, ad pernoſcendam autem compoſiti vires, omnia hæc illi ad vnguem ſunt pernoſcenda. Si enim vnius ſimplicis improbitas totam ſæpe compoſitionem vitiat, vt abunde in medicamenta componendi methodo docuimus; an parui tibi eſſe debet ſingulorum ſimplicium delectus? Si item præparationis ratio ſimplicium vires auget, minuit, abolet, nouas acquirit; vt lib. 2. explicauimus; quam tu harum ignarus facultatum medicamento tribues? Si denique miſtionis modus ex eadem materia vnguentum, ceratum, emplaſtrum efficiat, an tibi eſt negligendus? Crede mihi, abſurdiſſimus eſt ac ſæpe ridiculus, qui medicinam facit harum rerum ignarus. Non dico quoties Medici imperiti enumerata ſimplicium turba ſubſcribant, fiat emplaſtrum vel aliud, cum tamen ad hanc medicamenti formam ſcripta illa ſimplicia nunquam veniant: quæ res Medicum pharmacopœo ignorantiæ ſuſpectum meritò reddit.

Præterea multos me vidiſſe tam rerum harum imperitos, vt cum in officinas diuertiſſent pharmacopœorum, non modo ſimplicia vſu ipſis quotidiano celebrata non agnouiſſe, ſed neque compoſita medicamenta illis prope continenter in ore & calamo verſata nouiſſe, mollia ne eſſent an ſolida. An non id eſt ignorantia rerũ maximè neceſſariarũ craſſiſſima? Quam ne exuant plerique à Medici dignitate alienum putant in medicamentarias officinas diuertere, ibi aliquandiu ſedere, quæ componuntur obſeruare. Vtinam hic ſaltem, nunc

nunc inciperet ac procederet ista consuetudo: non spectarent Medici, quàm fœde frequenter labuntur ob compositorum iniquitatem, & fortasse sua dignitate, si scientia id minimè possent sua, indoctos aut improbos pharmacopœos à praua compositione deterrerent.

Hæc prolixius à me scripta, quam rei natura postulet, fortasse ineptus aliquis calumniabitur, cum tamen res ipsa longissimam efflagitet orationem, quæ profligata multorum ignorantia, omnes Medici nomine dignandos in id studium impellere posset, ne posthac esset excusationi locus. Faxit Deus, vt quisque quam exercet artem per nos-cat, & Medicus nihil eorum ignoret, quæ ad morbos citò & tutò curandos vtilia vel necessaria esse consueuerunt.

Esto verò Medicus (vt sunt res hodie dispositæ) in opera pharmacopœorum incurrere non debeat, an propterea indignum sibi esse dicet pharmaciam scire, non solum cum necessarium fuerit aliquid huius partis moliri, vt cum aberit pharmacopœus: sed etiam vt ei ignaro & imperito præsit, & ne ambo cæci in foueam ægros trahant, prouideat?

Cardanus causas comminiscitur ignorantiæ Medicorum Arabistarum alias fuisse, nempe idiomatis proprii amorem, & alieni incogniti contemptum & odium, eos secutos esse falsas interpretationes & traductiones græcas & latinas in arabicam linguam, sensum & intelligentiam per eas & per ingenij sui confidentiam in multa erronea incidisse. Sed cum certum sit superiores Medicos Arabas, Auicennæ præcursores, fuisse egregios Græcorum successores & sectatores, nempe Rhasim, Halyabbam & alios, quos secutus est Auicennas, cuius posteriores Guido notat in ignorantiam Chirurgiæ, & in doctrinæ corruptionem incidisse, nec ideo falsas versiones tam fuisse causas earum, quam quas notauit Riolanus senior

in epist. ad Myronium, Henrici tertij Regis Francorum primarium Medicum, Parisiensem, vbi quæstionem hanc mouet, Cur Medici olim honorati, nunc facti sint inglorij, nempe cum primis Medicinæ temporibus summa esset viuendi frugalitas, minorque propterea Medicorum necessitas, ipsis tamen primis Medicinæ principibus Apollini, Æsculapio, Hippocrati honores tanti redditi sint, vt pro diis sint habiti & sacra collata diuina. Hodie vero cum intemperantia sit tanta in viuendi ratione, à qua tam multa morborum cohors ingruerit, & maxima orta sit artis necessitas, sit tamen Medicorum hodiernorum, quam antiquorum, dignitas, authoritas & veneratio minor, quin potius magnus sit Medicinæ & Medicorum contemptus & despectio: Ac licet in sacris paginis Deus mandauerit honorari Medicos, propter eorum scientiam, disciplinam & necessitatem, nunc verò aliis artibus & artificibus Medicina rationalis & Medici eius veri aliis postponantur: post varias adductas rationes, hanc tandem profert, vt verisimiliorem, nempe Medicorum mentitorum & falsorum multitudinem. *Etenim,* inquit, *quæ rara chara sunt, & res quantumuis pretiosæ copia vilescunt. At prima ætate perpauci erant Medici, iique Chirurgi & Pharmacopœi. Sed postquam cum luxu morbus, cum morbo honos & merces, cum vtroque numerus Medicorum increuit, qui externis bonis elati alienum à majestate suæ artis operi manum admouere existimauerunt. Quare authoritate qua valebant apud principes suos, ministros Chirurgos & Pharmacopœos crearunt, sibi ad operandum pro se suppositos, quibus agendi formulam, vt architecti suis operariis, dictarunt. Sed hi paulatim vecordia & negligentia Medicorum hoc jugum seruitutis excusserunt; eoque tandem creuit licentia, conniuente magistratu, & vulgo deci-*

pi volente, vt nisi in extremo morbo Medici opem non implorent. Vnde factum est, vt magno artis Medicæ ludibrio tot sint hodie Medici, quot Chirurgi & Pharmacopœi.

Pergit verò Cardanus damnare Medicorum Arabistarum Auicennæ posteriorum ignorantiam & abusum, qui & Chirurgiam vtramque, tam theoreticam quam practicam, & instrumenta ad hanc necessaria, & medicamenta eorumque vires in genere & in specie tandem ignorauerint & perdiderint, & in despectum atque contemptum apud omnes sua erronea imaginariæ cuiusdam vanæ & falsæ dignitatis, authoritatis & venerationis, suæque ignauiæ & incuriæ opinione & specie falsa deciderint.

Quia verò altiùs insita Medicorum animis etiam rationalium dignitatis medicæ læsio, si se ad opera medica rationaliter, fiducialiter & salutariter peragenda demitterent, per tot sæcula turpissimè imposuit Pontificibus, Regibus, Politicis, Ecclesiasticis & aliis Ordinibus cum sanitatis offensæ & ereptæ vitæ dispendio calamitosissimò: excurrere placet contra Arabistas, & quærere ex iis, an Æsculapij & filiorum eius Podalyrii & Machaonis, an Hippocratis, Galeni & aliorum Græcorum, Latinorum & anteriorum Auicennæ Arabum Medicorum accurata doctrinæ tractatio & methodica per indicationes chirurgica & pharmaceutica operatio manuaria, quam sibi solis propriam semper retinuerunt & exercuerunt, eorum gloriam, famam & dignitatem offenderit, imminuerit aut extinxerit? an non potius eorum existimationem adauxerit? an impediuerit Hippocratem describere decentem Medici-Chirurgi habitum, & ornamentum animi & corporis, esse debere τῇ γνώμῃ καὶ κατὰ χεῖρας; & Galenum voluisse Medi-

cum eſſe κατὰ μάθησιν καὶ κατ᾽ ἄσκησιν, mente & manu, eruditione & exercitio, ſermone & opere? & vtrumque dixiſſe, opera mentis & manuum eſſe magiſtrorum in arte propria: opera vero corporis eſſe idiotarum & miniſtrorum. Illa eſſe nobilia, honorabilia, glorioſa, ſemper inculpata & innoxia: quia arte, iudicio, & cauſarum notitia vera, certa & recta methodo peraguntur: hæc verò eſſe ignobilia, vilia & ſeruilia, ſordida & ſæpe noxia, ſi abſit ratio & manus medica, quibus ſolis redduntur ſalutaria. Solius enim Medici eſt ſua arte facere ea ſalutaria, quæ ab alio quovis fiunt noxia aut mortifera. Solus ille ſcit colligere margaritas ex ſterquilinio, latentes ex venenis eruere vires eximias, de cortice & nuce extrahere nucleum, ab excrementis, purulentiis, ſputis, vrinis, ſanie, ſudoribus, menſtruis, ſanitatis, aut vitæ, aut mortis, aut morborum cauſas & ſigna noſſe, præuidere, præcauere.

Cur antiquitas Medicos vocauit & voluit eſſe δημιουργοὺς, & Hippocrates voluit eſſe ἀμφιδεξίους? Cur natura iis ambas attribuit manus, & præter alias, medicas manus laudauit? An non, quia opera ſanitatis reddita ſunt per eas pręſtantiora & certiora, quam per alias? An non, quia ſunt fideliores menti, cuius ſunt partes corporis? nullius ignorantiæ, nullius erroris, nullius inuidiæ, nullius alterius opinionis, ſententiæ, laudis, honoris & gloriæ participes & conſortes, ſed ſoli animo & iudicio, velut fratri ſuo ſorores ſociatæ & coniunctæ, vt ſint organa pro organis aliis omnibus, ſoli rationi & animo ſuppoſita, à quo nunquam disjunguntur & diſſident?

Quis ergo non dixerit, Medico turpiſſimum eſſe mentem & manum habere torpentem, otioſam & ad munia & officia ſuæ artis præſtanda & ad opera

ſua eſſentialia & neceſſaria edenda inutilem? An non pars quæque propter actiones proprias eſt à natura comparata? An non cum ſuo vſu & actione pars caret, cenſetur mortua & reſecanda, & vt arbor infructuoſa in ignem coniicienda? An non ſuæ arti & ſibi eſt ignominioſa & infamis, vbi ἀναίσθητος & ἀκίνητος eſt & paralytica?

Homines ab initio rerum rationem habuerunt à Deo pro omni artis inuentione, inquit Galenus: rationi autem adiunctas manus pro aliis omnibus instrumentis, vt eſſent organa prima reliquorum ad omnia ſibi comparanda & effingenda neceſſaria, templa, domos, veſtes, alimenta, remedia & media quæque, ſanitatis ſuæ & vitæ conſeruandæ propria. Quidni ergo Medici eadem ratione & manibus ſuis vtantur, vt ſui muneris operationes medicas, methodicas, & eſſentiales ac proprias perficiant? Chirurgicas per manus, per inſtrumenta propria coadunandi, diuidendi, extrahendi, & pro differentiis cauſarum diuerſimodè in tempore, modo, menſura, qualitatibus, perſonis & locis dirigendi? Pharmaceuticas diſpenſandi, deligendi, præparandi, componendi, miſcendi medicamenta, præſertim ſolennia, alterantia antidota & purgantia, theriacalia, cardiaca, roborantia, ſcammoniata, mercurialia, antimonialia, mochlica quæque valida, & quæ malignis & venenatis qualitatibus prędita ſunt & noxiis, vt eas emendent & eximant, & innoxias faciant; deligant, præparent, & ad vſus ſalutares & ſecuros aſſeruent, per innumeras artis, mentis & manuum operationes rationales & methodicas, ad quas aliorum mentes & manus ſunt hoſtiles & mortiferæ? An non ergo Arabes Medici, qui eas à ſe procul abiecerunt, & in ignorantiſſimorum, & illiteratiſſimorum & imperitiſſimorum ſeruorum

ſuorum manus & mentes tranſmiſerunt, vt in certiſſima diſcrimina & damna præſentiſſima & manifeſtiſſima ſanitatis & vitæ ſuos ægros conijcerent, ſunt ipſimet indigni, non modo ſua arte & munere, ſed etiam ſua ipſa ſanitate & vita?

Quid enim Medicinæ & Facultatibus ignominioſius & probroſius, & ęgris iniuſtius & crudelius, quam habere Medicos officij ſui, ſuæ ſcientiæ & conſcientiæ deſertores, præuaricatores & proditores, qui pro ſua rationali & fideli arte, pro ſalutari & benefica manu ægris ſuis ſubſtituant & ſubrogent maleficas, ſicarias & veneficas, per quas ægros ſuos excarnificent, trucident, venenent, & diſperdant? Quis non ſolùm Medicus, verùm etiam artis ignarus ſanæ mentis dixerit, manuarias operationes Apollinis, Æſculapij, Podalyrij, Machaonis, filiorum eius, Philoxeni, Euelpiſti, Iapis, Archagati, Hippocratis, Megis, Galeni, Pauli Æginetæ, Aëtij, Oribaſij & aliorum Græcorum & Latinorum Medicorum (ne omittam anteriorum Arabum turbam numeroſam) fuiſſe arti ſuæ Medicinæ rationali & ſibi probroſas & ignominioſas, per quas Medicina ad tantam gloriam prouecta eſt, & inſignitum eſt eorum nomen tantis honoribus, vt in terris diuinos, & in cælis ſedes & domicilia habere promeruerint? Cum fuerint à Deo creati & deſtinati Medici, vt quæ natura ſola ad ſanitatem & vitam hominum tuendam, & ad ſanitatis lęſionem & noxam reparandam præſtare ſola nequit, ipſi ratione, notitia cauſarum, mentis, & manuum ſuarum peritia cum omni veritate, iuſtitia & ſecuritate perficiant.

Quid ad famam tantam Æſculapij filios Trojani belli temporibus extulit, quam manuaria chirurgica & pharmaceutica medicamentorum & inſtrumento-

rum operatio methodica? Quos ex Homero refert Celſus, non tam in peſtilentia, neque in variis generibus morborum aliquid attuliſſe auxilii, quàm in vulneribus mederi ſolitos eſſe: ἰῶς' ἐκτέμνειν ἔπειτ' ἤπια φάρμακα πάσσειν: Sic cum læſus eſt Æneas, aderat Phœbo ante alios dilectus Iapis, qui pæonium in morem ſenior ſuccinctus amicta retorto, multa manu Medica phœbique petentibus herbis ne quicquam trepidat, ne quicquam ſpicula dextra ſollicitat, prenſat tenaci forcipe ferrum.

Ex quibus patet inquit Celſus has partes Medicinæ fuiſſe ab iis præcipuè tentatas eaſque eſſe vetuſtiſſimas.

Cur ergo eas turpes & viles eſſe Arabiſtæ ſibi perſuaſerunt? tam inuerecundè eas repudiauerunt, & per eas ſuas pollui manus exiſtimauerunt? niſi vt ſe & artem & ægros ſuos proderent & perderent? odioſi, inſidioſi, ſuſpecti, deſpecti, & miniſtris ſuis inferiores, ignariores, viliores, & ignobiliores haberentur?

An turpe fuit & ignominioſum Hippocrati in Anticyram, deligendi, ad ſanandum Democritum amicum ſuum Abderitanum, ellebori nigri cauſa proficiſci? An probrum ei fuit edidiſſe librum pharmaceuticum, quo ratio delectus, præparations, compoſitionis, correctionis, & vſus medicamentorum omnium, & vtriuſque potiſſimum ellebori, declarabatur, quem magno Medicinæ & publicæ hominum ſalutis damno, temporis iniuria, periiſſe Galenus ægrè admodum tulit?

An inglorium etiam Hippocrati fuit & arti elaboratiſſima alterius partis Medicnæ, ſcilicet Chirurgiæ, de vulneribus, de vlceribus, de fracturis, de luxationibus, de tumoribus monumenta edidiſſe, &

Galeno infame commentarios in eoſdem libros ſcripſiſſe tam ſalutares, atque inſuper ſeorſim ſuam methodum medendi exemplis chirurgicarum operationum confirmauiſſe, & ad ea libros de ſimpl. med. facultat de temperamentis, de antidotis, de comp. med. ſecundum genera & ſecundum partes corporis in lucem emiſiſſe? Si opera iſta Medicorum peritiæ & manibus iniurioſa & indigna, & ægris noxia iudicauiſſent, an de iis tot & tam accurata ~~medi-~~ menta edidiſſent & commendauiſſent, eaque propriis manibus excoluiſſent & exercuiſſent? An non vterque Hippocrates & Galenus & alij præſtantes, ſuos habebant viles & ſeruiles miniſtros; ſuum Hippocr. Crateuam rhizotomum & botanicum, Galenus inſtitores ſuos, qui laborioſa, ignobilia, vilia & ſeruilia opera peragebant, ad quæ etiam magiſtri Medici quandoque, cùm neceſſe erat, deſcendebant? qui Medicis ſuis magiſtris & dominis legebant, deligebant & aſportabant folia, flores, ſemina, radices, montanas, aquaticas, conuallium, ſylueſtres, præter ſatiuas & domeſticas, vernas, æſtiuas, autumnales, hyemales, etiam peregrinas ex longinquis terris aduectas, quas diligentiſſimè in ſuis officinis & ergaſteriis aſſeruabant.

docu/

An fruſtra fuerunt ſuſceptæ Galeni profectiones & peragrationes in Cyprum, in Lemnum, in Syriam, in Ægyptum, vt metalla & mineralia, vt terram Lemniam, vt bitumen, vt plantas, vno verbo materiam omnem medicam meliorem inſpiceret & colligeret, quam in totam ſuam & amicorum vitam ad medicos vſus compararet, & vt regulam haberet, ad quam aliam quamcumque materiam conferret?

An ad iniuriam artis & Medicorum Galenus tam multus

+ les pages 73 jusques et compris 80 qui manquent icy se trouvent plus bas après la page 168. —

multus fuit in examine, probatione & censura exacta singulorum simplicium, præparatione diligenti, & studio accurato compositionis suorum antidotorum diacalaminthes, diatrion pepereon, diospol. & aliorum alterantium & purgantium, nisi sicut ipse scripsit, vt iuniorum Medicorum errores & vitia emendaret, eorumque mentes & iudicia instrueret, & manuum exercitia corrigeret & formaret, eademque ratione sui temporis mercatores, pharmacopolas, myropolas, rhopopolas & seplasiarios argueret & increparet, qui antidota solennia adulterabant, cùm simplicia euanida, exanimata, cadauerosa compositionibus admiscebant, inque delectu, præparatione & miscendi modo, quantitate & proportione non minùs fraudulenter, quàm ignoranter peccabant, cùm à sanis corrupta, à veris & integris castrata & adulterata non internoscebant, nec discriminabant. Insitum enim mercatoribus, vitiosa, malefica & noxia sanis, integris & bonis admiscere & vendere, nec curare an sanitati aut vitæ officiant, an fallant & mentiantur, modò lucrentur. Quid aliud fecit Galenus, quando sui temporis Medicos tam asperè insectatus est, quòd ab officio rectæ manuariæ operationis chirurgicæ & pharmaceutici delectus, præparationis & modi mistionis, arte & methodo recederent?

Quibus ergo censuris longè acrioribus eos notauisset, si nostris Arabistis similes inuenisset, qui ista opera, vt ignominiosa Medicis, abjurare & prohibere ausi essent? Qua fronte eorum ignorantiam & impudentiam Hippocrates & Galenus confudissent, quibus gloriosum, vtile & necessarium esse videbatur habere suas officinas, instrumentis omnibus chirurgicis & medicamentis simplicibus & composi-

tis,omníque materia medica ſelectiſſima, exquiſitiſſima & rariſſima inſtructiſſimas, ne ex mercatorum mangonum alterantium & adulterantium tabernis ea depromere cogerentur qualia quæque?

Sic cum Galenus iuſſus eſſet ab Aurelio Imperatore, vt ſibi theriacam componeret & conficeret,ab officina ſua potius,quam ab Euphrate pharmacopola,licet ab Aurelio deſignatus eſſet, deſumpſit omnia, cùm eſſet ſupellectile quauis munita optimorum medicamentorum, quæ quotannis ab omni parte terrarum per ſuos inſtitores botanicos miniſtros transferri & renouari procurabat, ne à metallurgis & ab indigenis & alienigenis vectoribus, viatoribus & mercatoribus pharmacopolis extenuarentur, adulterarentur & vitiarentur.

Noſtros ergo non puduerit Arabiſtas tantum diſtare ab antiquis illis principibus Medicinæ? Aut etiam,quod ignominioſius eſt, cenſuras & criminationes objectas à profanis artis, cum magno dedecore ſuſtinere, vt à Plinio,qui ſui temporis, quod fere erat Galeni, Medicos ſic damnat. *Credunt Seplaſiæ omnibus quidem fraudibus medicamenta corrumpenti, factaque iampridem mercantur emplaſtra, collyria, tabeſque mercium.*

Quanto ergo majore in exiſtimatione, gloria & honore erant antiqui illi Medicinæ proceres, qui omnia inſtrumenta & medicamenta medica domi habentes,quæ optima & conuenientiſſima ad omnia morborum, externa & interna genera, ſingularia quæque deſignare, præſcribere & accommodare propria cuique ſua,eaque manibus ſuis præparare & vſurpare & operari vſu & arte didicerant: Tanto maioribus Arabiſtæ noſtri ab illis diſtant interuallis ignorantiæ, imperitiæ, imperfectionis & igno-

bilitatis. Quantum enim illi ſapienter & ſalutariter medendo ſe diligentiores, & glorioſiores præbebant, tantum noſtri Arabes & ſemidogmatici inſalubriter, & ignauiter ſe gerendo ignobiliores & ignominioſiores ſe exhibent. Quid inſipientius & abſurdius, quam lecta apud Celſum Medicinæ in tres partes diductione Eraſiſtrati tempore, vt vna eſſet quæ victu, altera quæ medicamentis, tertia quæ manu mederetur; primam διαιτητικὴν, ſecundam φαρμακευτικὴν, tertiam χειρουργικὴν dictam: inde ſibi eos finxiſſe Medicinam in artes illas inferiores ſubiectas, ſeruiles & viles, quæ miniſtris relinquuntur, & quas ex formulis, iuſſis & mandatis Medicorum magiſtrorum miniſtri exercent & perficiunt, ac per iſtam ignorantiam craſſam & errorem pernicioſiſſimum operationes Medicinæ methodicas, rationales & proprias, vt ancillas ſeruiles & ſuæ dignitati iniurioſas & indignas à ſuis manibus ablegauiſſe & repudiauiſſe? Sicque in culpam incidiſſe nulla venia dignam, qua voces haſce duas (partium & artium) confuderunt, aut diſtinguendas eſſe neſciuerunt? Quas Craſſus apud Tullium, licet peregrinus in arte, tam clarè diſtinxit his verbis. *Non in hac vna re Catule, ſed in aliis etiam compluribus diſtributione partium ac ſeparatione, magnitudines ſunt artium diminutæ. An tu exiſtimas, cum eſſet Hippocrates ille Cous, fuiſſe tum alios Medicos qui morbis, alios qui vulneribus, alios qui oculis mederentur?* Videant ex iis Arabiſtæ, quantum eos fefellit ignorantia, & diſcant Medicos illos antiquos in diſtributione ac ſeparatione partium à medicina non deceſſiſſe, nec à medica dignitate degenerauiſſe, nec ad artes viles, ſeruiles & mechanicas, miniſtris proprias, pharmaceuticas & chirurgicas deſcendiſſe.

Lib. de Oratore.

Fuerunt enim ſemper Medici, qui partes Medicinæ nobiles, rationales & medicas, ſeu pharmaceuticas quaſdam, ſeu quaſdam chirurgicas, ſeu vniuerſas ſeu particulares, coniunctiuè, aut ſeiunctiuè exercerent.

Certum enim eſt illis temporibus rationales illos egregios Medicos, puta Hippocratem & Galenum & alios plures, animo & corpore, mente & manibus εὐφυεῖς, officia, munia, exercitia & opera medica omnia cum ſumma artis ſuæ & nominis gloria digniſſimè & glorioſiſſimè peregiſſe. Quoſdam verò minùs fortes & laborioſos per ἀφυΐαν, ad quarumdam tantum partium corporis aut cauſarum, aut morborum externorum, aut internorum, aut operationum chirurgicarum, aut pharmaceuticarum curationes & ſtudia ſe contraxiſſe: in quibus tam excellentes eſſe neceſſe erat eruditione & peritia, quàm ſi vniuerſam Medicinam cum ſuis partibus faciendam & exercendam complecterentur & ſuſciperent.

Sic ſcriptum ab Herodoto, omnia in Ægypto Medicorum fuiſſe plena, varios variis morbis, partibus, actionibus, operibus ſeſe conſecrauiſſe, ſuique etiam periculi vitæ ſponſione curationes ſuſcepiſſe & promiſiſſe.

Quare ergo Craſſus cenſuit ſeparatione partium magnitudines artium (atque adeo Medicinæ) eſſe diminutas? Diſtinctione certè ad conciliationem hanc opus eſt. Quandoquidem enim particularia, non niſi magna cum difficultate, longo vſu, peritia & exercitio, & per multas cognitiones, diſtinctiones & obſeruationes experimentorum inueniuntur apud ſingulos ægros; generalia verò in ſcholis & authorum claſſicorum monumentis faciliori via & breuiori tempore addiſcuntur, ipſaque tantum ſufficiunt, vt per

ea ad singularia perueniatur: adeo necesse fuit in iis generalibus Medicinæ partibus Medicos versari & eas habere notissimas, priusquam in particularibus certam peritiam & curationem consequi possint: Hoc est scientiam prius habere perspectam, quàm actiones & operationes rectas aggredi & obire possint.

Ex quibus solutionem colligere possumus, maiorem Medicinæ laudem accedere ex vniuersali simul & particulari partium omnium cognitione, intelligentia, professione & exercitatione, qualem per εὐφυΐαν est adeptus magnus Hippocrates ante separationem partium. Ast verò post separationem partium maiorem Medicinæ & ægrorum curandi certitudinem esse consecutam. Qua de causa retulit Galenus, si in Asia mansisset, in qua non erant Medici à Chirurgia separati, Eudemi Medico-chirurgi emplastro vehementissimè desiccante se vsum fuisse, quo plures seruatos fuisse, quam qui blandioribus vterentur. Sed cum Romæ degeret, ciuitatis morem sequi voluisse, permissa iis, quos Chirurgos vocant, inquit, maxima talium operum parte. *c. vlt. lib. 6. meth.*

Quales fuerunt, inquit Celsus, Æsculapij duo filij, Machaon & Podalyrius, qui bello Trojano Agamemnonem ducem secuti, non in pestilentia, neque in variis generibus morborum, si Homero credimus, aliquid attulerunt auxilij, sed vulneribus tantummodo ferro & medicamentis mederi soliti sunt. *in proœmio.*

Quales in Ægypto multi eximij & insignes fuerunt, inquit, Professores, Philoxenus, qui pluribus voluminibus hanc partem diligentissimè comprehendit: Gorgias quoque & Sostratus & Hieron & Apollonij duo & Ammonius Alexandrinus, multíq; alij celebres viri, & vt ex scriptis eius intelligi potest, *lib. 7. c. 1.*

horum eruditiſſimus Meges quibuſdam in melius mutatis aliquantum ei diſciplinæ adiecerunt.

Galenus autem ſignanter notauit, quoſdam medicos quarumdam tantum partium morbis, quoſdam particularibus operationibus quibuſdam, quoſdam medicamentis pręparandis & cōponendis, quoſdam quibuſdã externis morbis, vt luxationibus, fracturis, quoſdam quibuſdam internis, à quibus Medici denominabantur ophthalmici, otici, chirurgici, pharmaceutici, pro varia parte, operatione, materia, morbo, cui ſeparatim ſe addicebant.

Legendus liber, An ars tuendæ ſanitatis ad Medicinã pertineat, an ad Gymnaſt.

An non Arabiſtæ Medici fuerunt iſtorum omnium neſcij & inepti, qui turpiter artes pro partibus ſumpſerunt, inſciè aut malitiosè vſurpauerunt, nec, vt par fuit, diſtinxerunt, nec opera medica & methodica à miniſterialibus & mechanicis, nobilia ab ignobilibus diſcriminauerunt, ſed ea confuderunt, artem ſuam à ſe abdicauerunt, ſeſeque demiſerunt, & miniſtros ſupra ſe eleuauerunt, ſeque demum & artem in vituperia & ignominiam dejecerunt? Qui in eam mentis ſtupiditatem ſeu dementiam, corporis ſegnitiem & manuum ſuarum reſolutionem deſciuerunt, vt ſcientiam omnium rerum vniuerſalium Medicinæ neglexerint: vt in cauſis, morbis & partibus externis & internis, dignoſcendis & per indicationes methodicas & circumſtantias eſſentiales curandis, inuerecundè, ignoranter, impudenter & malitiosè peccauerint, vt etiam curam omnem rectæ peritiæ & exercitij in operationibus ſuis chirurgicis, pharmaceuticis & diæteticis particularibus, vana quadam ſpecie lęſę dignitatis Medicæ deluſi depoſuerint: vtque demum contra legem & mandatum Hippocratis & veterum Medicorum morem, ſacra artis myſteria, ſcilicet officia, munia & opera, ſolis Medicis

propria, repudiauerint, & ſuis miniſtris βεβήλοισι, natura ſua minus rationalibus, potius animalibus & bardis commiſerunt, qui quæ ſpiritus ſunt non percipiunt, qualia interna; ſed potius ſapiunt quæ ſunt corporis & externa, quique conſuetudine potius agunt, ſemper ęqualiter, & eodem modo reguntur; quia nullo lumine cognitionis diſtinctionum ad rectè & definitè operandum inſtructi & illuſtrati ſunt.

Sic igitur Arabiſtæ & ſemidogmatici ſibi laudabilius eſſe crediderunt deſides otiari & feriari, inertes torpere, ignorantiæ & errorum vitiis ignominiosè infamari, ignauię & incurię vituperiis affici, in iſtis ſordibus fœdiſſimè deliteſcere, diutiſſimè contaminari, ſordeſcere & vileſcere; omnia in profeſſione corrumpi, ſubuerti & deprauari; ægros à veneficis & tortoribus excruciari & interfici, pręuaricationum & proditionum opprobriis infamari, & pœnas maleficiis ſuis debitas & promiſſas promereri malle videntur, quàm ſuis ægris recta dari conſilia, & ſalutares manus afferri, eoſque à morbis & à morte vindicari, atque antiquam majeſtatem, dignitatem & gloriam ſuam, aut conſeruari, aut priſtinam deperditam recuperari.

☞ Cum ergo ſacra hęc Hippocratis & claſſicorum veterum Medicorum myſteria, officia, munia & opera medica, nullis aliis communicanda quam Medicis, repudiauerint, & ſolis ignobilibus & profanis reliquerint: quomodo Hippocrati obſequentur, & ea quæ præcipit cuique Medico probo & perito, ex officio ſuo & conſcientia faciend, exequentur? nempe vt ad vilia miniſteria deſcendere non erubeſcant, cum viderint miniſtros ſuos non ritè, peritè & rectè fungi officiis, operibus & miniſteriis; manum operi admouere non

dubitent, vt à periculis ſuos ægros eripiant: cùm ſit omnis honeſta & glorioſa ratio expediendæ ſalutis cuiuis vel infimo homini, quanto magis Medico in terris ægrorum vindici, iudici & poſt Deum ſaluatori ſoli? At verò omnis inſcitia, inſufficientia, ignauia & incuria ex aduerſo inhoneſtiſſima ſit, malitiæ æquiparanda, atque adeo extremè exprobranda, improbanda, deteſtanda & caſtiganda in Medico illo, qui ſuos ægros deſeruerit, eoſque in vitæ certa pericula nolens aut volens coniecerit?

Si tam glorioſum eſt Regibus, Imperatoribus aut exercituum ducibus, cum nutat victoria, gregariorum militum partes & perſonas ſuſtinere & officia gerere: Cur fuerit Medicis turpe & probroſum à mortis periculis præſentibus ægros ſuos eripere? Quinetiam Deus is eſſe vulgò perhibetur inter mortales, qui alios ſua arte iuuat. Quanto magis Medicus dicendus eſt in terris Deus, qui ægros ſua arte & manu quoquo modo liberat? Contra illi ſunt habendi κακοδαίμονες Medici, qui ægros ſuos ſponte periculis exponunt & obijciunt.

Cum ergo ignorantiæ & maleficia Arabiſtarum & ſemidogmaticorum Medicorum, qui ſuis operandi & medendi officiis & operibus miniſtros ſuos præfecerunt, omnibus nota ſint: qui contra maieſtatem artis, contra rationem omnem, dignitatem & gloriam ſuam, contra tam liberam & liberalem, ingenuam, nobilem & ſalutarem profeſſionem, contra propriam conſcientiam & officia ſua, & contra ſanorum & ægrorum vitam grauiſſimè peccauerunt, dum ſeruos ſuos ſeu miniſtros tam inertes, illiteratos, ignobiles, illiberales & viles perſonas, non tantum in partem gloriæ ſuæ ſociauerunt ſibi pares, ſed etiam iis inferiores ſe demiſerunt, vt eos ſupra ſe erexerint

erigerent : vt qui olim imperabant , parerent & ſubijcerentur : qui officiis , magiſteriis & operibus ſuis propriis bene medendi & operandi abdicauerunt ſe, vt ſuos ægros, quos antea fœliciter ſanabant, per alios, quos pro ſe ipſis ſubſtituerunt, infœliciter venenari & trucidari conſpicerent, nempe propriis armis & inſtrumentis, quibus antea medebantur & vitam ægris reddebant, in venena & enſes iugulatorios tranſmutatis. Quid enim conuenientius & propius dici poteſt, quàm ignaros miniſtros delirantibus, ſeu phreniticis, aut ſicariis, aut veneficis comparari, qui obuios quoſvis, aut amicos, aut inimicos, aut dominos, aut ſeruos, aut parentes, aut liberos, aut vicinos, aut alienos, aut domeſticos, ἢ ἑκόντες ἢ ἄκοντες, & volentes aut nolentes inficiunt & interficiunt?

Qui immeritiſſimos ſuos exaltauerunt, vt ſe olim benè de omnibus meritos deprimerent, non humilitate meritoria, ſed ſtoliditate fraudatoria & criminali: qui eos honorauerunt & ornauerunt, vt ſeſe dedecorarent, & defœdarent: illos viuificarunt, vt ſe veluti truncos inertes, impotentes & mortuas arbores, nullis fructibus ferendis aptas & idoneas, in ignem conjiciendas oſtenderent, aut ſi quos fructus producerent, non niſi ſibi ſimiles, ſylueſtres, agreſtes, auſteros atque amaros, hoc eſt fœtus paralyticos, inualidos, defectuoſos, mutilos, imperfectos, mercenarios & inglorios de ſe proferrent. Qui ſic Dei dona & beneficia in maleficia, in venena & inſtrumenta ægris fatalia ſemper conuerterunt. Qui demum ſplendorem omnem & gloriam Medicinæ rationalis obſcurauerunt, ægrorum ſalutem & vitam ignorantiæ, imperitiæ, temeritati, erroribus, & aleæ fortunæ mortiferæ ſubiecerunt, & tanquam mendici bonis

ſuis omnibus propriis ſpoliati,ſuos illos miniſtros omnium rerum egenos locupletarunt, vt in equis magiſtrorum quauis ſupellectile pretioſiſſima, velut ſpoliis ornati & induti, de iis triumpharent, ipſi verò Medici pedibus nudi ſuper terram ambularent. Qua de re queſtos in ſcholis Medicos, & illud Sapientis, magno ſuo dolore, lugentes & gementes adduxiſſe audiuimus, *Vidimus ſeruos in equis, & dominos ambulantes ſuper terram ſicut ſeruos.* Sic ergo rationalem Medicinam, ſe ipſos, totam poſteritatem & Scholas ac Facultates, ſicut prædixerat diuinus Hippocrates, polluerunt, proſtituerunt & prodiderunt. Sed de Semidogmaticis hæc ſufficiant. Nihilne verò de Empiricorum tanta multitudine proferemus?

Empiricos verò eo conſilio diſtulimus, vt arti minùs iniurioſos, quàm Semidogmaticos. Siquidem Empirici ſe palam non profiteri Medicinam rationalem non negant nec diſſimulant, ſed Empiricam ſolam, hoc eſt meram rerum medicarum naturalium, non naturalium & contra naturam ignorantiam; arcana ſola occulta, ſpecifica, formalia, à ſola tota ſubſtantia ſibi eſſe cognita, ſeu phyſica ſint, ſeu metaphyſica, ſeu ſecundum naturam & rationem, ſeu ſupra, non curant nec inquirunt: ſed hoc tantùm pollicentur, eſſe quibuſvis morborum, cauſarum, ſymptomatum & ſanitatum differentiis præſtantiora, præſentiora, certiora & tutiora, quàm quæ ſunt rationalium remedia methodica. Quæ cùm palam tam audacter & impudenter oſtentent, nulli ſunt tam creduli, tam ignari, tam hebetes, & tam deſperati, qui eos non habeant manifeſtè ſuſpectos, inſidioſos, formidabiles & infidos.

Aſt Semidogmatici ſpecie Medicinæ rationalis, laurea inſigniti, nomine peritorum & proborum ratio-

nalium & dogmaticorum orthodoxorum inſoleſcentes, velut lupi ouina veſte induti, quibuſvis imponunt, decipiunt pleroſque omnes, cùm Empirici, Paracelſum anteſignanum ſuum ſolum ſecuti, ea ſola proferant & proponant, quæ ab eodem magiſtro ſuo didicerunt & acceperunt empirica; rationalia verò, nulla arte ex cauſarum manifeſta notitia indicata, omnino reijciunt: quia cauſas omnes impugnant, quas ignorant manifeſtas, ſolas occultas laudant, per quas ſanitatem integram ſanis, & ſanationem perfectam ægris, nullo diſcrimine & diſtinctione rerum, cauſarum, naturarum, corporum, partium, morborum, remediorum quovis pignore, etiamque vitæ ſuæ periculo, promittunt.

Sufficit iis ſola quædam vniuerſalia, captioſa & blanda proferre, vt ſeſe inſinuent & officioſè atque gratioſè decipiant, puta vitam in ſanguine etiam corrupto conſiſtere, quem detrahere, eſſe tantumdem vitæ minuere; ſuo ſe poſſe, quodcumque vitium lateat in corpore, alexiterio emendare, putredinem omnem ſiſtere & corrigere, cacochymiam quamuis etiam peſtiferam eliminare; & maſſam ipſam totam purificare. Qua ſubducta non modò putredo omnis, ſed etiam plenitudo vacuatione iſta tollatur, purulentia, ſi qua ſit, eadem aut reijciatur aut reſoluatur, inflammatio quæuis ſedetur, febris extinguatur, orgaſmus reprimatur, humores lacte dulciores, auro puriores, quauis pace, tranquillitate, & æqualitate pacatiores & temperatiores reddantur, omiſſa omnia rationalium Medicorum reparentur, commiſſa omnia infecta reddantur, delicta deleantur & obliterentur. Sed inſuper omnem rationalem methodum & medicamenta omnia rident, noxia perhibent & reijciunt, vulgaria, vſitata etiam, quæ

ſemper ſunt ſecura, proficua & innoxia, tam cathartica, quam alterantia cauillantur, grata ægris omnia commendant & præferunt, ſuam medicinam facilem, fœlicem & inſipidam exaltant, rationalem infœlicem, fallacem, fatalem & ingratam deprimunt, conſpectum & colloquium Medicorum ingenuorum fugiunt, quos nihil habere dicunt, quam voces & verba, ſibi verò curationum eſſe opera propria & conſueta.

In eo verò maximè ſui Paracelſi more ſe gerunt, eſtque hoc iis conſuetum, vt cita mors, vix vnquam victoria læta ſequatur poſt exhibita ſua arcana, & inter mille vix vnus ex accidenti liberetur. Sufficit tamen vnus ille, vt tuba ſua paſſim proclament, velut ad blancam, ſi vni ſors fauerit, licet alii mille aduocati fallantur. Sic ſatis eſt, ſi vnus euadat æger, vt ignominiæ, infamiæ & criminum omnium memoria obliteretur, & mox fama & gloria perdita in ſempiternum recuperetur. Qualem impoſtor magiſter ante & poſt obitum ſuum obtinuit tam glorioſam, vt antiquis omnibus ſapientibus Medicis antepoſitus à vulgo fuerit, & à confluentibus vndique ſectatoribus habitus ſit vt Deus. Adeo apud vulgus valet falſitatis pro veritate, ignorantiæ & erroris pro ſapientia ſemel concepta opinio!

Certum enim eſt Paracelſum fuiſſe hominum omnium in profeſſione Medicinæ doctrina & exercitio ignorantiſſimum, & moribus tota vita apparuiſſe mortalium peſſimum. Scripſit enim amanuenſis eius Oporinus fideliſſimus domeſticus, bibliothecam eius vix ſex paginas ſcriptas continuiſſe, nec vllos habuiſſe Medicinæ & aliarum diſciplinarum libros, nec Hippocratem, nec Galenum, nec vllos Græcos, Latinos & Arabas legiſſe vnquam & in-

tellexisse, nullas præparantes ad Medicinam artes didicisse, nulla studiorum in ea testimonia & specimina vnquam dedisse, nec vllis vnquam verbis, quam barbaris & ignotis vsum & locutum esse: mirari se, quo modo post interitum suum in tantam nominis celebritatem per totam Europam venire potuerit, vt nulla fuerint Imperatorum, Regum, summorum Principum & Pontificum palatia, ad quæ eius impostoris fama & existimatio non peruenerit, neminemque fuisse, qui eius figmentis & deliramentis inescatus & infatuatus non fuerit. Sed in eo mirari maximè, quo modo tam multa & in Medicina & in aliis disciplinis monumenta & scripta ei ascripta fuerint, harmonica, magnetica, sympathica, occulta, specifica, arcana, formalia, physica, medica, magica, & chymica.

Certum est ex Plinio, fraudulentissimam artium Magiam alias imperiosissimas humanæ mẽtis in vnam se complexam redegisse, nempe Medicinam & mathematicas artes secum miscuisse specie salutari, & futura de se sciendi nullo non auido; sic possessis hominum sensibus triplici vinculo in tantum fastigij adoleuisse, vt in magna parte gentium præualeret: & pene magicæ vanitates Medicinam extinxissent, vt notauit idem Plinius, nisi ipse Hippocrates eam à sapientia, hoc est à Magia & Astrologia vtraque superstitiosa, præstigiosa & fraudulenta separauisset, eamque solam vt verissimam & certissimam retinuisset. *c. 1. lib. 30. hist. nat.* *Celsus in proœmio.*

Quas tamen nefandus ille, natus in ruinam bonarum artium, morum, vitæ & fidei veræ hominum Paracelsus, in triplicem antiquam societatem rejungere & redigere velle visus est, cum analogiam quandam harmonicam cælestium cum terrenis, seu con-

ſenſionem ſympathicam, & diſſenſionem antipathicam, etiamque imaginariam identitatem, vt ſimul Magiam adumbratione quadam virtutum naturalium, & Medicinam ſimul inuolueret: quæ dum aſtruere conatur, in ἀνιάτρειαν veram incidit, & χημιάτρειαν pro Medicina ſolam profert, aut ſimulat χρυσοποΐαν ad fraudem maiorem, decipulam & aucupium ſectatorum & auerſionem à rationali Medicina.

Sed ſub iſtis inanibus, chimericis & imaginariis præſtigiis & inuolucris nullum contineri nucleum, nullam panaceam, nullam πανσπερμίαν, nec vllam cornu-copiam conditionis & bonorum, quæ ſibi creduli & ſtulti effingebant, contineri inuenerunt: & quotquot adhuc ſunt Empirici iſtius æmuli innumeri, tota Europa fuſi, profugi & errones, nihil pro vitæ ſanitate longa, pro fœlici panacea, niſi breuem vitæ exitum, aut morbos, & tædium longum, pro auro penuriam, pro εὐπορίᾳ ἀπειρίαν, pro arte ignorantiam, pro veritate errores, falſitates, improbitates & impietates reportauerunt.

Tam impium fuiſſe, ne dicam atheum, retulerunt Paracelſum, vt nunquam non modò orare & in ædes ſacras ingredi viſus ſit, ſed neque fuiſſe ſimilem, qui in Deum tam horribilia & infanda, ſilentio digna potius quam narratione, euomuerit; Dæmones & inferas furias indeſinenter omnes horrendis deprecationibus interpellauiſſe, quibus dies & noctes ſuos domeſticos tantis commotionibus territabat, vt aſſiduè fremerent, ne manes & genij mali turbulentè & ex tempore erumperent, & omnes qui cum illo erant, ad tartara transfretarent & traijcerent.

Mores eius tam prauos fuiſſe, & viuendi rationem tam ſpurcam, vt velut amica luto ſus ad ſolam

ingluuiem & vinolentiam natus esse videretur; cum aurigis, bubulcis, bajulis, lurconibus; in popinis compotatorem perpetuum, ibíque diurnum & nocturnum vinum decoquentem dormitauisse, numquam visum sobrium, semper ebrium, corpore agitatum, animo perturbatum, calce, pedibus, pugnis, vnguibus, gladiis, ensibus impotentem, contubernales insultantem, verberantem; tam fastuosum, insolescentem & insanum, vt non modo se in humanis rebus omnibus & Philosophicis scientiis, Medicis se, Philosophis & Hippocrati, Platoni, Aristoteli, Galeno; sed etiam in Theologicis Prophetis omnibus, Apostolis & Ecclesiasticis Doctoribus se præferendum esse iactaret: séque vnicum à Noëmo sapientem, scientiarum Monarcham & Imperatorem ostentabat, reliquos omnes qui præcesserant contumeliis & conuitiis persequebatur, eorumque nomina proscindebat & infamabat.

Ne verò quispiam per maleuolentiam, aut odium, aut inuidiam me hæc de eo dixisse existimet, legat contemporaneos eius Medicos, & audiat quæ duo aut tres, qui eum diligenter & eius scripta, vitam, mores & medendi rationem diligenter obseruauerunt, prodiderint.

Iacobus Zuingerus hoc de eius doctrina scripsit. *Philosophemata Paracelsi, vel eadem sunt cum Græcis, vel diuersa, vtroque modo deteriora. Interdum quidem eadem, sed affectata peregrinitate, vt aliud dicere videantur, deteriora. Diuersa verò & peiora, quia falsis opinionibus veritatē obscurat, & allegoriis alienis nititur, potissimùm fundamēto microcosmi, quasi in hoc sint omnia macrocosmi, quo destructo omnia quæ superstruxit facile corruunt.*

Crato primarius trium Imperatorum Medicus, & Iulius Alexandrinus Archiatros eximius, qui eius

ignorantiam & inſaniam in aula Imperatorum, & in eius per vniuerſam Germaniam peregrinationibus, palam & paſſim patefactam deſcripſerunt, & intolerabilem eius impudentiam & inſipientiam inſcitiæ ſummæ coniunctam, grauiſſimis pœnis dignam, qua dum ſe in omnibus diſciplinis magiſtrum ſummum iactabat, ſcientiarum omnium excellentiam deijciebat, inquiunt; rationalem Medicinam deſpiciebat & nihili faciebat, & ſolam è ſuis furnis nouam fabricatam prædicabat, qua diſcentes omnes à bonis ſcientiis & à claſſicis authoribus ac Medicinæ principibus auertebat, auocabat, & ad ſuas fornaces aduocabat, ad ſua metallica, ſtibialia, mercurialia, ſulphurea, ſales, magiſteria, extracta, venenata, cauſtica, quibus 25. per annos, Germaniæ partes peragrando, ingentem incautorum ægrorum multitudinem ad interitum derepente præcipitauit, aut extenuauit robuſtiſſimos, ita tamen vt intra annum vitam cum morte commutare cogerentur, ſi Eraſto doctiſſimo Medico, doctrinæ eius inquiſitori & cenſori exactiſſimo, fides habenda ſit. Cum quo valdè ridendos libenter pro coronide referam Baſilienſes, parum conſultos eius præcones, qui epitaphio eius inſcripſerunt, per eum ſanatum fuiſſe elephanticum, quem pro pſorico & ſcabido malè ſani ſuppoſuerant. Ne ergo miretur quiſpiam, ſi (quod diximus) ignarus & impius tam citò, vix quadraginta annos natus, qui malè perdebat alios, malè perditus ſit & perierit. Neque enim lex iuſtior vlla eſt, quam necis artifices arte perire ſua.

Quid mirum ergo, ſi Empirici eius ſectatores, ſimiles ſint exemplari & archetypo ſuo? inſcij, ſtulti, fatui, inſulſi, inſipientes, nullo lumine ſcientiarum diuinarum & humanarum illuſtrati & inſtructi, palam

ſe

ſe rationali Medicinæ aduerſos, nouitios & peregrinos, ſolius Empiricæ fortuitæ & temerariæ aſſertores, & occultorum arcanorum, quibus omnia ſunt occulta, Medicos ſe profiteantur, qui cū nullam notitiam corporum, partium, cauſarum, morborum, remediorum, rerum demum naturalium, non naturalium & contra naturam ſcientiam habere ſe non negent: quis non iudicet eos totos eſſe ſua propria confeſſione ſuſpectos, noxios, formidabiles, exitioſos, atque adeo minùs Medicinæ rationali aduerſos, & ſaluti humanæ minus infenſos, quàm Semidogmaticos? Licet enim in iis par ſit & æqualis malitiæ ſuſpicio, quia tamen per vtramque fallunt Semidogmatici, qui rationalem ſe habere ſcientiam ſimulant, Empirici verò minimè: ideo hos illis, comparatione facta, tolerabiliores cenſuimus.

Quia tamen ignorantia quæque craſſa & affectata in rebus & perſonis medicis, ſolis eſt cognita peritis in arte & probis Medicis; & affectata, quæ ſemper malitiæ comes eſt indiuidua, propria eſt Semidogmaticorum: craſſa verò minùs particeps malignitatis, potius eſt Empiricorum, Politicorum & vulgarium, qui ſuam non negant in rebus & perſonis medicis ignorantiam: propterea Semidogmaticos, qui malitioſè aliis omnibus, Regibus, Principibus, Magiſtratibus, & Ordinibus omnibus imponunt, deteriores eſſe & intolerabiliores aſſeruimus. Licet verò alij aliis ſint æquales ignorantia, & alij aliis impares vitio & maleficio, ſintque hi deteriores; omnes tamen tam Empirici & Politici, qui ſe rebus medicis & perſonis temerè immiſcent & fallunt; quam vulgares & creduli atque incauti innumeri qui falluntur, apud Deum & apud homines per craſſam ſuā ignorantiam, quæ neminem excuſat à culpa, rei

ſunt & à pœna non immunes, nec vlla ratione excuſandi, cum pro antidoto venenum propinant aut ſorbent quo pereunt.

Sed tempeſtiuum nunc eſt poſt ſuam Medicorum capitis diminutionem & officij ſui & operum medicorum demiſſionem in manus ſuorum miniſtrorum, quæ inde ſuborta ſint mala ordine commemorare.

Cum ergo Medici Arabiſtæ & Semidogmatici, vt dictum eſt, tam architectonici & Profeſſores Scholæ, quam reliqui Doctores & operatores πεπαιδευμένοι & δημιουργοὶ, apud ſe inſipienter propoſuiſſent, dignitatis ſuæ imaginariæ integræ conſeruandæ cauſa, manuariam in profeſſione operationem deponere: credibile eſt eos ab initio ſcientiam retinuiſſe, & operationem rejeciſſe, ac primum modum operandi ſuis miniſtris dictauiſſe, vt vult Riolanus; forſan etiam vt præſentibus ſolum magiſtris operarentur. Sed cum magiſtri non ſemper adeſſent ægris præſentes, miniſtri ſoli operari cœperunt, abſentiam magiſtrorum expetiuerunt, & animi ſui confidentia ſatis ſufficientes & idoneos ad rectè operandum ſolos ſe exiſtimauerunt. Cumque eſſent omnino illiterati, ignari & mechanici, nec ſcientiæ lumine opus eſſe falsò ſibi perſuaderent: rei enim incognitæ cupiditas nulla: inde contigit tandem, vt vtrique tam magiſtri, quàm miniſtri, inertiæ & ignauiæ aſſueti, hi ſubeſſe, illi præeſſe deſierint. Et cum à malis non niſi mala naſcantur, & vtrique malè fecerint: ſic ex iſtis orta ſunt odia, & diſſidia inter eos, per tria aut quatuor ſæcula, implacabilia: his numquam parere & ſubjici, illis ſemper dominari & imperare volentibus: his ſeſe attollere & ad ordinem magiſtrorum ſemper contendentibus, illis per ignauiam & imperitiam ab omni ſtudio, officio & opere ſuo rece-

dentibus, vtriſque ad impotentiam bene medendi & operandi redactis. Miniſtri ſiquidem pro more humilium plebeiorum erecti in altum, ingratitudinis innato vitio, dominos magiſtros ſuos deſpexerunt & ab eis regulam & formulam bene operandi diſcere & mutuari noluerunt, ſed in naturali ignorantia peruicacius conſeneſcere maluerunt. Quemadmodum etiam Medici, immemores eruditionis, peritiæ, exiſtimationis & gloriæ Hippocratis, Galeni & aliorum antiquorum Medicorum, aut potius neſcij, in ſua corruptione, peruerſitate, inertia, imperitia & ignauia Arabica torpere, deliteſcere & vileſcere voluerunt, neutris id quod antè perdiderant recuperare valentibus, quod vt demonſtratum de iis, ſic demonſtrandum nunc eſt de miniſtris.

Guido à Cauliaco ab hinc trecentis annis, ſuo tempore præter duas generales Chirurgicorum ſectas Logicorum & Empiricorum, quinque alias (vt loquitur) adhuc currere inter operatores artis Chirurgiæ ſcripſit. Nulla autem notantur tempora Chirurgorum ſeparatorum à Medicis antiquiora, quàm ſub Philippo Auguſto anno 1223. per Guillelmum le Breton poëtam ſub eodem Rege, qui agens de Ricardo Angliæ Rege læſo in humero, in agro & caſtello ſuo Lemouico; ſic ait.

Interea Regem circumſtant vndique mixtim,
Apponunt Medici fomenta, ſecantque Chirurgi
Vulnus, vt inde trahant ferrum leuiore periclo.

De Logicis primum agemus, qui Pariſiis, & Auinioni, & Tholoſæ, & Monſpelij ſolùm commorabantur. Empirici verò in tota Gallia per vrbes & oppida ſparſi erant.

Logicos autem, ne prima facie putes eſſe rationales, per cauſas ad bene operandum inſtructos.

Scias fuiſſe ſemper incultos,ignaros,rudes & illiteratos, nullius ſcientiæ lumine illuſtratos, nulla induſtria, peritia & dexteritate manuum informatos, alia quàm miniſteriali, ſemper mechanicos. De quibus ſic Guido ſigillatim loquitur, initio ducto à Rogerio quodam, Rolando & quatuor Magiſtris, quos dicit libros ſpeciales in Chirurgia edidiſſe, & multa empirica in iis miſcuiſſe. Deinde inuentum eſſe Iamerium, qui quandam Chirurgiam brutalem edidit, in quam multa fatua immiſcuit: in multis tamen Rogerium ſecutum fuiſſe. Subſequenter autem inuentum Brunum, qui ſatis diſcretè dicta Galeni & Auicennæ, & operationes Albucaſis aſſummauit, tranſlationem tamen totam Galeni non habuit, & anatomiam penitus omiſit.

Poſt eum immediatè venit Theodoricus, qui rapiendo omnia quæ dixit Brunus, cum quibuſdam fabulis Hugonis & Lucæ magiſtri ſui, librum edidit. Guillelmus de Saliceto valens homo fuit, & in Phyſica & in Chirurgia. Duas ſummas compoſuit, & iudicio meo quantum ad illa quæ tractauit, ſatis benè dixit. Lanfrancus etiam librum ſcripſit, in quo non multa poſuit, niſi quæ à Guillelmo recepit, in alio tamen ordine mutauit. In hoc tempore Arnaldus de Villanoua in vtraque facultate floruit. Henricus de Hermondauilla Pariſiis tractatum per notabilia incepit, in quo nitebatur de Lanfranco & Theodorico facere matrimonium. Ipſum tamen tractatum morte præuentus non compleuit. Vltimo inſurrexit vna fatua roſa Anglicana, quæ mihi mandata fuit, & viſa. Credidi in ea inuenire odorem ſuauitatis, & inueni fabulas Hiſpani, Gilberti & Theodorici.

Ex iis collige, quoſdam eorum fuiſſe Phyſicos, hoc eſt, Medicos, ſed paucos, qui adhuc more veterum

rationali methodo in operando vtebantur, quales, inquit Guido, fuerunt, qui meo tempore operantur; Tholosæ Mag. Nicolaus Catalanus, Monſpelij Mag. Bonetus filius Lanfranci, Pariſiis Mag. Petrus de Argenteria, Lugduni Mag. Petrus de Monaco, Auinioni Mag. de Arelate & ſocius meus Io. de Praxina, & ego Guido de Cauliaco. Reliqui verò alij fuerunt Empirici, quorum varias ſectas recenſet, & quas ſe redarguturum promittit, quæ meo currebant, inquit, tempore.

Prima fuit Rogerij, Rolandi & quatuor magiſtrorum, qui indifferenter omnibus vulneribus & apoſtematibus ſaniem cum ſuis pultibus procurabant, fundantes ſe ſuper illo 5. Aphoriſmorum, *laxa bona, cruda verò mala.*

Secunda fuit Bruni & Theodorici, qui indifferenter omnia vulnera cum ſolo vino exſiccabant, fundantes ſe ſuper 4. Therapeuticæ, *ſiccum ſano eſt propinquius, humidum vero non ſano.*

Tertia ſecta fuit Guillelmi de Saliceto & Lanfranci, qui volentes mediare inter iſtas, procurabant omnia vulnera cum vnguentis & emplaſtris dulcibus, fundantes ſe ſuper 4. Therapeuticæ, *quod curatio vnum habet modum, quòd abſque fallacia & dolore tractetur.*

Quarta omnium Teutonicorum militum & ſequentium bella, qui cum coniurationibus, & potionibus, & oleo, & lana atque caulis folio procurabāt omnia vulnera, fundantes ſe ſuper illo, *quod Deus poſuit ſuam virtutem in verbis, herbis & lapidibus.*

Quinta, mulierum & multorum idiotarum, qui ad ſolos Sanctos in omnibus ægritudinibus infirmos remittunt, fundantes ſe ſuper illo, *Dominus mihi dedit ſicut placuit, Dominus à me auferet quando ſibi pla-*

cebit. Sit nomen Domini benedictum. Amen.

Quis ergo non videat, in quam varias ſententias Chirurgi illi logici,& multo magis adhuc empirici diſtraherentur, Chirurgiæ prorſus ignari? Quàm benè dictum à Galeno, bonum & verum eſſe vnicum, & mala ſeu falſa eſſe plurima: & bonum ex integra cauſarum communione eſſe vnum, at ex quovis defectu vel minimo malum oriri. Nec ideo mirum, quod dixerit Guido, non potuiſſe Chirurgos illos bonum iſtud & verum inuenire, ſed in malis & falſis ſemper ſententiis permanſiſſe, & ipſos ſicut grues inuicem ſe ſequi, nec vnum aliud dicere, niſi quod alter.

Per multa tamen temporum ſpatia, centum circiter annorum, à tempore Philippi Auguſti 1223. quo repetere poſſunt ſui ortus principia, vſque ad regnum Philippi Pulchri 1314. à quo ſtatutorum quorumdam obtinuerunt probationes, in tenebris perpetuis errorum & maleficiorum vixerunt, rudes, illiterati, inexperti. Sed cum tandem eſſent ægris formidabiles, quos miſerè & crudeliter excruciabant & mactabant ſicut lanij, ſeu ab amicis moniti, ſeu ab eruditis quibuſdam excitati, ſeu à ſe ipſis impulſi, Chirurgiæ ſcientiam, velut per nubila lunam, neceſſariam, vt benè operarentur, introſpicere cœperunt & appetere.

Didicerant eſſe Medicinæ therapeuticæ partem, non artem inferiorem, & vilem, ignobilem & mechanicam, neutiquam à Medicina ſeparandam & reſcindendam, ſed addiſcendam neceſſariò ab iis, qui eam accuratè & ſalutariter exercere vellent: exinde totis animis contenderunt, vt Medicinam ſibi compararent, cuius eſſet pars Chirurgia, tam practica & manuaria, quàm theoretica, ne amplius in mechani-

ca & vili Chirurgia torpeſcerent. Acceperant olim Medicos fuiſſe ſimul Chirurgos & Med. ſed animo vano & malè conſulto ſuperioribus annis vtramque Chirurgiam & Pharmaciam abiurauiſſe, velut ignobiles partes, & eas ad manus miniſtrorum tranſmiſiſſe. Qui cùm illiterati & inepti eſſent, eas etiam partes indigniſſimè & iniurioſiſſimè in ægrorum perniciem, per craſſam ignorantiam & imperitiam, exercerent. Propterea graui culpa concitati, & ſciendi ac benè operandi deſiderio permoti ad ſtudia illa Chirurgiæ accuratè animum intenderunt. Quæ laudabilia fuiſſent, ſi ea viribus animi aſſequi potuiſſent.

Statuta ergo primùm ſibi quædam effingenda propoſuerunt, eorumque approbationem à Rege Philippo le Bel, & ab vrbano Prætore literis obtinuerunt, his verbis conceptam, *Ne vllus Chirurgus vllave chirurgica mulier artem Chirurgiæ ſeu opus quomodolibet exercere præſumeret palam vel occultè, in quacumque iuriſdictione & terra, in Villa & Vicecomitatu Pariſius, niſi per magiſtros iuratos morantes Pariſius prius examinati & approbati fuerint.*

Ex iis collige, quam craſſæ fuerint ignorantiæ & imperitiæ, qui mulieres pariter ineruditas ſecum operatrices chirurgicas in ſuo Collegio admitterent, quas etiam vſque ad Carolum Quintum Regem, qui interiit anno 1380. receperunt, eademque ſtatuta iiſdem verbis repetita, etiamnum comprobata retinuerunt, nec mulieribus reiectis, nec gallica lingua relicta. Attamen ſequentibus temporibus articulum hunc attexendum eſſe cenſuerunt, qui ſic habet.

Quia ſæpius honorandam Chirurgiæ ſcientiam ex Grammaticæ imperitia vilipendi videmus, ex eius verò peritia & eleganti verborum congruitate honorari, & Regem

ipsum maioresque reip. rectores in ea plurimum delectari; nullus magistrorum clericum, nisi in Grammatica sufficienter instructum, suscipiat, & id à superius dictis inuiolabiliter decretum est tenendum.

Antequam verò ad facultatem Medicinæ, à qua se scripto, nutu, errore & vanitate arroganti (ignaris propria) seiunxerant, sibi viam apertiùs pararent: Primum quidem postulauerunt ab Vniuersitate (sic Academia vocabatur) per Ioannem Sulfureum magistrum in Chirurgia & Academia, vt ipsos & alios suos in arte approbatos reputaret scholares suos, & priuilegiis, franchisiis, (sic loquuntur) libertatibus, & immunitatibus concessis sibi & concedendis vti & gaudere liceret, & ipsos iuuare vellet. Hoc Rector Vniuersitatis Magistrorum & Scholarium Parisius studentium eis concessit, prouiso tamen, quod ipsi lectiones magistrorum actu Parisius in Medicinæ Facultate regentium, vt moris est, frequentarent anno 1456. Quæ eadem iterum Academia confirmauit 5. Maij anno 1515. Eodem etiam tempore iidem Magistri Chirurgi ab eadem Facultate Medicinæ obtinuerunt decretum sub Decanatu M. le Meusnier, ad postulationem Stephani Barat Magistri Chirurgi & aliorum, quo Facultas eos reputat vt scholasticos suos, & in priuilegiis & immunitatibus conseruare & iuuare iis promisit.

Pergunt insuper Chirurgi iurati, conantur altiùs emergere, & ad parem cum Facultate dignitatem assurgere, videntes sibi dimissam & relictam esse à Medicis Chirurgiam propriam, vt Pharmacopœis Pharmaciam vtramque, & theoreticam & practicam: se iisdem etiam honoribus & priuilegiis gaudere debere, quibus Academici & Medici.

Conquesti sunt ergo apud Facultatem sub Decanatu Mag. Michaëlis de Colonia 19. Nou. 1491. quod aliqui Magistri Facultatis exposuerant & declarauerant barbi-

Barbitonſoribus Anatomiam quandam, & quod legebant iis lingua vernacula: Reſpondit Facultas, id factum præter ordinem Facultatis, & pręcepit Magiſtris, ne amplius legerent, quouſque aliàs prouidiſſet.

Biennio pòſt ſub Decanatu Mag. Ioan. Lucas 11. Ian. 1493. placuit Facultati, vt barbitonſores haberent vnum de Magiſtris Facultatis, qui legeret iis Guidonem & alios authores verbis Latinis, & aliquando familiaribus & Gallicis ſecundùm voluntatem. Inſuper iis permiſit habere cadauer ſuſpenſum in patibulo diſſecandum, modò Magiſter Facultatis præeſſet.

Anno ſequente ſub Decanatu Mag. Theodorici le Cirier Chirurgi, per Philippum Rogerium poſtulant à Facultate, ne Magiſtri legerent barbitonſoribus lingua materna. Reſpondit Facultas, nolle acquieſcere eorum petitioni, niſi ipſi Chirurgi deſiſterent ab ordinationibus receptarum, ad Magiſtros Facultatis ſpectantibus.

Ex iis cernere eſt, quantum Chirurgi ſenſim ad officia & opera medica aſpirare nitebantur, tantum à Facultate fuiſſe demiſſos & improbatos, atque barbitõſores, cum quibus de operibus medicis jampridem decertabant Chirurgi, à medicis tantũ fuiſſe eleuatos. Manifeſtè enim ſe læſos eſſe à Facultate Chirurgi non immeritò conquerebantur, quòd operatio manuaria, quam Facultas ſibi Chirurgis miniſtris exercendam reliquit & dimiſit, ſine ſcientia, induſtria & peritia medica manuaria ſalutariter perfici, quodque altera alterius ope carere non poſſet: ipſa tamen in ſuum præiudicium & detrimentum barbitonſores erigeret, & iis faueret, quin etiam ipſa ſe gereret contra vetus Academiæ ſtatutum, quo Magiſtri non

ſolent aliter libros ſuos legere, quam latino ſermone: nihilominus Facultas ſtatuiſſet Medicos legere barbitonſoribus etiam poſſe gallico & familiari: quòd etiam Facultas ſuis decretis aduerſaretur, quibus ſuos ſcholaſticos & alumnos Chirurgos conceſſis priuilegiis ijſdem, quibus ipſa gaudet, gaudere approbauiſſet: cùm tamen pro aduerſariis ſuis tonſoribus tota ſtaret, ac nuper cuidam Franciſco Bourlon Chirurgiam exercere permiſiſſet contra ſtatuta, dudum à Regibus, & Prætore vrbano & ab Academia probata.

Quod ſub Decanatu Magiſtri de Colonia 19. Nou. anni 1491. Facultas à Chirurgis rogata, ne barbitonſoribus Anatomiam exponeret & declararet, annuiſſet. Attamen biennio poſt ſub Decanatu Mag. Ioannis Lucas 11. Ian. anni 1493. placuit Facultati vnum de Magiſtris eligere doctorem barbitonſoribus, qui Guidonem & alios authores, & Anatomen ipſam legeret latinè & gallicè ſecundum voluntatem ſuam, contra vetus Vniuerſitatis decretum.

Quodque ſub Decanatu Mag. Bernardi de la Vaugere anno 1498. barbitonſorum annuens petitioni, Magiſtrum ſuæ diſſectioni cadaueris ſuſpenſi præeſſe conſtituit, qui tam gallicè quam latinè exponeret.

Sed in eo vel maximè, quod tunc cum Chirurgi nudis capitibus ſupplices adeſſent Facultati, poſtulantes vt ab iis omnibus ſe temperaret, & ſuis alumnis ſcholaſticis non aduerſaretur amplius, nec aduerſariis ſuis tonſoribus deinceps faueret: Antiquior tamen Magiſter Facultatis Hellinus eos reiecerit & obiecerit iis priuilegia, quibus ſe tutabantur, gloriabantur & exultabant, fuiſſe ſubreptitia, ſub falſis fundamentis rationum impetrata, cum res hæc tota

ad Facultatem ſpectaret, nequaquam ad Chirurgos: Facultas cum tonſoribus pactum contraxit ſub Decanatu Mag. Io. Auis 15. Ian. anni 1505. certis conditionibus, quibus tantum tonſores eleuauit, quantum Chirurgos diſiecit, qui altiùs quàm pro viribus ſuis ad ordinem Medicum attolli certabant. Eadem Doctores duos quotannis electos docere chirurgica tonſores, etiamque operandi modos & formulas permiſit, qui viciſſim Facultati obſequium & fidelitatem perpetuam, nihilque ægris ſe ſubminiſtraturos, quàm quod manus chirurgica poſtularet, & quod authoritas medica præſcriberet, ac id ipſum ſe tabulis Decani Facultatis quotannis ſubſcripturos promiſerunt.

Eodem tempore Chirurgi à Franciſco primo Rege edictum impetrant, quo iiſdem gaudere priuilegiis, quibus Academici, permiſſum eſt. Poſteà etiam indultum ſeu reſcriptum à Gregorio 13. Pontifice obtinent, his verbis, *vt omnes & ſinguli Chirurgi, tam coniugati quam non coniugati, qui prius Grammatici & poſtea in eadem Vniuerſitate Magiſtri recepti, & vt ipſorum Chirurgorum moris eſt, examinati & probati fuerint, poſtquam à Cancellario profeſſionem fidei iuxta formam deſcriptam in eius manibus emiſerint, benedictionem Apoſtolicam, quemadmodum cæteri Magiſtri & licentiati eiuſdem Vniuerſitatis conſueuerant, cum debitis reuerentia & humilitate recipiant.*

Quod cùm eſſet Facultati Medicæ & Vniuerſitati ſignificatum ſimul vtrique, edicto & indulto Vniuerſitas & Facultas interceſſit & ad Senatum prouocauit.

Certè quidem fuiſſet æquiſſimum ſtudium & inſtitutum ipſo iure, ſi fuiſſet cum eruditione & peritia, non Phaëtontica temeritate & audacia ignorantiæ ſuſceptum, nec ab indignis profeſſoribus inauguratum.

Antequam enim à ſupremo Senatu nouum hoc opus, munus & diploma regium atque indultum examinatum, ac definitum fuiſſet, præproperè rem accelerauerunt, duoſque ex ſuo ordine ſelegerunt, qui docendi prouinciam, & formandi tyrones quo poſſent modulo ſuo ſuſtinerent & obirent. In eam rem gymnaſium Chiurgicum conſtruunt, velut Apollineum fanum, quo meditatis orationibus inaugurarentur, ad quod ſtudioſos ſuauiter allicerent & inuitarent. Diem conſecrationis publicis programmatis deſignant, ſupremas Curias, Academiam, ordines omnes vrbis magno apparatu & faſtu aduocant. Agyrtas dixiſſes nouos, recenter ex longinquis regionibus aduenas, inaudita, rara, mirabilia promittentes. Ergo ad dictum diem ſiſtunt ſe omnes.

Prior qui in ſuggeſtum aſcendit, Caballus, vulgò dictus *Cheual*; alter male oculatus, vulgo *Maleſieu.* Prima fronte mala in nominibus, ſiniſtrum euentum ſignificauerunt.

Etenim effrænus Caballus hinnitu, impetu, ſtridore, ſpuma, ore, dentibus, pedibus, calcibus omnes tam exagitauit, terruit, diſiecit & offendit; & alter ophthalmicus contagio ſuo auditorum oculos tam malefico infecit & læſit, & vterque aures vociferatione tã horrida, ſermone tam barbaro, incõpoſito & incongruo obtudit & grauauit, vt omnibus ophthalmia & ſurditas oborta ſit, ita vt corpore fatigati, velut attriti, ſugillati & confracti, animo mœſti, moroſi, & tædioſi, tanquam ab equuleo & cruce, verberum & verborum inuſitatorum contra Priſcianum, orationis inconcinnæ & incomptæ contra Tullium & Quintilianum, Philoſophiæ tam inauditæ contra Ariſtotelem, Chirurgiæ vtriuſque theoreticæ & practicæ tam diſcerptæ & laceræ, Medicinæ totius tam

defœdatæ contra Hippocratem & Galenum, diffugerint.

Quis enim artes liberas, liberales, nobiles & ingenuas ab ignobilibus, ſeruilibus, vilibus, illiberalibus, & mechanicis tam miſerè pollui & profanari in Academia celeberrima non impatientiſſimè & ægerrimè tuliſſet?

Certè niſi Riolanus pater Apologiam pro vera Philoſophia, Chirurgia & Medicina ſtatim compoſuiſſet & pręſcripſiſſet collyrium ad oculos ophthalmicos paregoricum, ad aurium læſiones & ſurditates anodynum, & ἄκοπον cataplaſma ad dolores, liuores & contuſiones, ſicut olim Romani Archagatum Medicum vulnerarium, vrendi & ſecandi inſolitæ Chirurgiæ, quaſi feritati & crudelitati non aſſueti, vrbe ſua eiecerunt: Sic Pariſini, maximè quidem Academici, barbarie pluſquam inſolenti & impudenti exaſperati & proritati, ineptiſſimos iſtos extra pomœria ſuæ Academiæ & Lutetiæ vrbis vniuerſæ deportauiſſent, aut velut totidem Marſias, qui canere cum Apolline & Muſis auſi fuiſſent, aut velut totidem Therſiticos nebulones, qui cum Vlyſſe certare non erubuiſſent, aut potiùs tanquam monſtroſos partus ſtatim ſuffocauiſſent, & in profluentem proieciſſent. Sed Riolanus ipſe ſuæ Apologiæ νηπενθεῖ pro Facultate & Academia iuſtam animorum iram temperauit.

Cumque malè nominatos & ominatos illos lapſus ſui tam repentini non puderet, nec ſuæ turpis repulſæ ab Academia, nec ſuæ interdictæ lectionis & Regentiæ infamiæ, nec temeritatis animi cæcitate ſuſceptæ pœniteret, nec ſuarum plagarum & pœnarum pro meritiſſima culpa & crimine tæderet, nec quicquam ignominiæ ſuæ cura eos morderet, vexaret & coqueret, licet ſimillimi mortuis, attoniti

& hebetes nullo ſenſu iacerent, vixque ab imo pe-ctore vlla ducerent ſuſpiria: attamen quaſdam adhuc voces caſſas clangosè & interruptè contra Apologiam emiſerunt. Sed quamprimùm prodierunt è caſtris Medici gigantes fortiſſimi Curtinus, Altinus, Grangerius, Baillotius, qui eos tam ſolerter, tam ingeniosè & tam memorabiliter ſuis ſcuticis flagellauerunt, & tam duriter ab excuſſo ſago eos exagitauerunt & in tam altum proiecerunt, vt denuò præcipites delapſi, in perpetuam memoriam attriti, & confracti, tanquã exanimes & elingues elanguerunt.

Tanta tamen clades ordinis iſtius cæteros eiuſdem furfuris Chirurgulos non detinuit, quin prouocarent ad Senatum. Lis ergo confirmandorum diplomatum controuerſa ad Senatum delata eſt, quæ pleniſſimo foro per Cauſidicos facundiſſimos & omnibus ornamentis bonarum literarum cultiſſimos agitata fuit; Chopinum pro Facultate, Verſorium pro Chirurgis, Chuartum pro Academia, Thuanum patronum Regium pro dignitate, & officio Medicorum & Medicinæ, atque pro ægrorum ſalute publica. Sed Curia pro ſuo more in iis rebus, quæ à peritis ſolis in arte dijudicandæ ſunt, nihil pronunciandum eſſe, & ad Medicos, judices ſuarum rerum, referendum judicium ſapienter iudicauit, & pro auſu tam immani & infando ſufficere ad omnem memoriam ignorantiæ, deſipientiæ & infamiæ tantæ inflictam eſſe à Medicis pœnam meritiſſimam cenſuit.

Simiæ tamen iſtæ Facultatem adhuc æmulari nituntur, inquit Paſchaſius, ſeu vt anſeres inter olores, vt cymbala & crotala inter citharœdorum modulamina, vt contraria oppoſita magis eluceſcant: Facultas Medicinæ longè antè præuiderat, Chirurgos duplici teneri ſtudio; altero reprimendæ & interci-

piendæ tonſorum cupiditatis, quâ operum Chirurgicorum vulnerum, vlcerum, & tumorum à longo tempore curandorum licentiam & poteſtatem affectabant, & de qua pridem inter ſe Chirurgi cum Tonſoribus & Empiricis decertabant; altero adipiſcendæ in Vniuerſitate æqualis cum ordine Medicorum dignitatis, ad quam per edicta Regum, perque ſtatuta varia, tam Vniuerſitatis quam Facultatis ipſius Medicæ, quorum priuilegiis gaudebant, ſenſim aſcendere poſſe ſperabant, cum ſcholam & ſtatuta, vt Regibus, ſic legibus ciuilibus comprobata, per actus publicos & priuatos prælectionum, interrogationum, & receptionum, baccalaureatuum & licentiarum haberent iam vſitata & conſueta. Ideoque Facultas per ſe etiam intendebat Chirurgorum audaciam & temeritatem hanc reprimere, & ad id perficiendum Tonſoribus, vbi adeſſet opportunitas iis omnibus fauendi, in ſuam clientelam recipere, & Chirurgos, quantum in ſe erat, deprimere. Cum verò inſitum ſit & innatum omnibus præcellendi & diſcendi ſtudium, ac Medicos præcellere Chirurgis, & Chirurgos diſcere à Medicis omni ratione eſſet æquum & laudabile ſtudium & deſiderium, orta inde ſunt magna inter eos diſſidia & odia, quæ ab vtrorumque ignorantia, errore & ſuperbia prodierunt.

Medicorum quidem, quorum tam peruerſa fuit initio ſententia læſæ ſuæ dignitatis ex operatione chirurgica & pharmaceutica, methodica, medica & rationali: Chirurgorũ vero, quorũ etiam tam ſtultum fuit ab initio ſubmiſſionis & ſubiectionis ad diſcendum à Magiſtris ſuis Medicis imaginarium dedecus & verecundia, vt Medicos pœnituerit, licet ſerius, ſententiæ falſæ læſæ ſuæ dignitatis, ſi manibus ſuis pro officio & conſcientia operarentur & Chirurgos ſuæ

vanitatis, qua ad discendum humiliùs sese submittere Magistris effugerunt, & recuperare quæ vtrique perdiderant. Etenim vtrique per varias occasionum opportunitates & momenta obseruauerunt & perceperunt, leges ciuiles, semper actiones quæ animi viribus, ab iis quæ corporum robore perficiuntur distinxisse: illas nobiliores & præstantiores, has ignobiliores, & animabus conuenientiores existimauisse: illas viris nobilioribus & præstantioribus ingeniis digniores, has vero vilioribus & plebeiis quasi brutis aptiores esse, nec aliam esse inter ea differentiam, quam qua animus corpore nobilior & excellentior omnium ratione & iudicio perhibetur. Quinetiam longo vsu & experientia didicisse, Æsculapium & filios eius Podalyrium & Machaonem, Hippocratem & Galenum, aliosque, quos retulimus Medicos præstantissimos, simul Chirurgos fuisse, & Celsum inter antiquos, & Fernelium suum adeo celebrem inter recentiores latinos, post Guidonem, Chirurgiam primam Medicinæ partem recensuisse, ambas sub iisdem esse natas authoribus, nec Chirurgiæ alia esse præcepta quàm Medicinæ.

Cumque non amplius lateret Medicos se in magnam delapsos esse ignominiam per suam propriorum officiorum, munerum & operum Medicorum demissionem, qua indignum sibi operari antiquo more Græcorum, & dignitatem suam splendidiorem ac præstabiliorem fore falsò censuerunt, inquit Fernelius, si solam rationis & consilij facultatem, vtpote liberalem assumentes, sibi retinentes ac suo iure vindicantes quicquid manuum opera geri solet, id omne ad Chirurgos transferrent.

Nec pariter Chirurgos fugeret, se ab initiis primis promotionum suarum ad opera medica grauiter se

contra ſe ipſos peccauiſſe, & ſua temeritate & perſuaſione valde deluſos & deceptos fuiſſe credere turpe ſibi eſſe & indecorum ſuis, ad diſcendum Magiſtris Medicis ſubjici, & ſe ſatis eſſe ex ſe ipſis idoneos, qui ſine vlla inſtitutione, formula & regula eruditionis & peritiæ methodica & rationali exculti & informati, opera iſta medica rectè & ſalutariter edere & exequi poſſent.

Medici ergo tandem pro ſuæ dignitatis & gloriæ conſeruatione, & pro antiqui iuris & excellentiæ ac propriarum operationum recuperatione contra Chirurgos ſeſe animauerunt & armauerunt. Chirurgi verò etiam à ſua vilitate & ignobilitate ad gloriam & ſcientiam medicam, ſine qua conditio eorum ſemper eſſet vilis & mechanica, erigere ſe conati ſunt.

Ex quibus verum eſſe manifeſtè apparet, ſcriptum à Regio Vate, *Homo cum in honore eſſet, non intellexit*: quia ſimiles facti ſunt inſipientibus iumentis & equis Medici, & mulis Chirurgi, quibus non fuit intellectus.

Vtrique enim graui dolore & pœnitentia affecti, nec leuibus pœnis ignorantiæ & errorum maiorum ſuorum agitati & conflictati, ſeriùs ſapuerunt & ad meliorem & ſaniorem mentem redierunt. Nunquam enim Medici ab ignominioſa ſua vilitate & ignobilitate, in quam per ſpontaneam abdicationem officiorum ſuorum glorioſorum inciderunt, in antiquam nobilitatem, exiſtimationem, dignitatem & gloriam reſurgent, niſi integram ſcientiam & peritiam manuariam rationalem medicam, antiquo more adminiſtrandam, ad ſe reuocauerint & exercuerint. Sic etiam Chirurgi nuper à Facultate iuſtiſſimè exauthorati, quòd ſe in thronum ſupremum, propriis viribus, ſimiles diis, Magiſtris ſuis aſcendere poſſe ſpe-

rabant: ideò ad ima tartara præcipites in ſempiternam memoriam, ſine vlla ſpe redemptionis, deturbati ſunt, niſi vt pueruli ab ineunte ætate inſtructi in doctrina ſimul cum operationibus eruditi & periti, legitimi facti hæredes Hippocratis, partibus omnibus & conditionibus neceſſariis ornatiſſimi regenerentur & renaſcantur. Seriùs verò ſapere vtroſque dicimus, quia quantum ſtatuta prima praua, & multa poſteriora pejora in gratiam miniſtrorum à Regibus, Pontificibus, Magiſtratibus conceſſa & confirmata Medicos impediuerunt & retardauerunt: tantum ignorantia, imperitia & infirmitas miniſtros altius aſcendere prohibuerunt. Neque enim indulta, reſcripta & mandata Pontificum, nec Regum edicta, nec Magiſtratuum decreta vlla verè, rectè, iuſtè & ſalutariter efficere poſſunt, vt artes & ſcientiæ liberæ, liberales ac nobiles, ab illiteratis, ineruditis, imperitis & ignobilibus tractentur & exerceantur: Sacra enim ſacris, inquit diuinus Hippocrates, conferenda ſunt, quod in vtroque foro non aliter obſeruari ſolet. Nefas enim ignobilibus & immeritis ea communicari, donec fuerint optimè inſtructi, informati & digniſſimi, palam probari. Quamdiu ergo miniſtri huiuſcemodi nullis fuerint bonis diſciplinis ad capeſſendam Chirurgiam medicam, theoreticam & practicam, & ad eam docendam & exercendam ornati & præditi, tamdiu ab Academia & à Facultate erunt rejiciendi, & ad omnia opera obeunda & præſtanda ſemper iudicabuntur inepti.

Relictis ergo Chirurgis, qui *manicati* vocati ſunt, ad tonſores Empiricos, quos Guido ſic vocauit, pergimus: cũ quibus Facultas pactũ contraxerat, vt eos extolleret, & deprimeret Chirurgos. Quia ſperabat arctiùs ſibi deuincire, mancipare & ſubjicere euocatos è

vili plebecula ad honorabilia medica munia, audita pœna temeritatis & infamiæ manicatorum, fore in pacto promiſſo fideliores & conſtantiores, & aliorum exemplo cautiores, & obſequentiores Facultatis mandatis, quæ in fide ſua ſtabat firma. Attamen vt proborum cum improbis non poteſt eſſe longa & tuta ſocietas, ſic etiam momentaneum fuit dominorum cum ſeruis tonſoribus pactum. Cum primùm enim Medici Chirurgos euomuerunt ſtomacho ſuo moleſtiores, & tonſores ſibi aſciuerunt, quos ex pacto ſibi promittebant molliores, humiliores & obſequentiores, eos tamen mox perceperunt durioris eſſe ceruicis, quàm Chirurgos ipſos, cùm pacti contracti ſimul obliti, iuſſis Medicorum parere & obſequi noluerint.

Ex tonſorum enim ordine tres Nic. Abicot, Iac. de Marque, Iſaacus Dallemagne ad Chirurgos ſtatim conuolarunt, quos (vt brutis pro more eſt) primos cæteri quoque tonſores alij ſecuti ſunt, & in vnum ordinem Chirurgorum conuenerunt, inſignia Chirurgorum, quæ ſunt Sanctorum Coſmæ & Damiani, cum pixidibus tribus, tonſores ſuis ædibus ſtatim appenderunt, & ænea vaſcula ſua ademerunt, togas induerunt, & quadratis pileis capita texerunt.

Sed cum tam repentina tonſorum tamdiu diſſidentium cum Chirurgis coniunctio, & vtrorumque à Medicis magiſtris ſuis ſeceſſio omnibus formidabilis eſſet & ſuſpecta, non tantum Medicis, ſed etiam ſupremo Senatui, in publicæ ſanitatis & vitæ ægrorum ruinam & in odium Senatus & Medicorum ſuſcepta videretur, ſatis fuit Medicis apud Senatum iſti ſocietati rationibus adductis intercedere, vt vinculum iſtud conjuratorum Miniſtrorum diſſolueretur, quod ſic Senatuſconſulto diremptum eſt, vt Chi-

rurgi ſua vexilla ſoli, & tonſores vaſcula ſua etiam repeterent, & vtrique Medicis firmius alligarentur.

Attamen tonſores in Senatuſconſulti deſpectum & odium,& in certiſſimum ignari,ingrati & infidelis contra ægros & Medicos animi teſtimonium,apud ſe conſtituerunt in antiqua ſatius eſſe ſibi vilitate & ignobilitate ſub primario barbitonſore duce ſordeſcere & vileſcere, quàm ad nobilem medicæ profeſſionis dignitatem aſcendere velle.

Tunc ergo Medici maiorem quam antea dolendi occaſionem perſenſerunt in eo,quod ſicuti maiores ſuos ſuam hæreditatem ad alienos transferri ſemper vellent, & in eadem ſemper ignorantia, ignauia & incuria torpere, licet ſibi oborta eſſet via facilis & libera, qua ſua dominia & poſſeſſiones proprias,à tam malis poſſeſſoribus occupatas,propriis manibus colendas ipſi repetere potuiſſent.Ad quas recuperandas ſumma neceſſitas, opportunitas & violatæ fidei & promiſſionis iniuria,& manifeſta læſæ ſanitatis, & vitæ inſidioſa & periculoſa ſuſpicio Medicos compellebat & cogebat.

Attamen maluerunt intra ſe conſiſtere, & ſtatutorum tam iniuſtorum malum inueteratum & confirmatum intactum dimittere, quàm nullo præuio rationum præcedentium apparatu, cum audacia & temeritate, poſt tam longam morbi hiſtoriam ex abrupto edictis Regum & Senatuſconſultis aduerſari, nullis adductis cauſis, inſtrumenta chirurgica atque pharmaceutica opera ad ſe vi retrahere, ne in carceres Regia authoritate raperentur.

Interim ergo gemere,& dolere eos oportet,& expectare alia tempora Medici ſatius eſſe duxerunt, quibus veritas Medicinæ & Medicæ vniuerſæ pro-

fessionis clarius innotescat & proclametur, errores & maleficia euidentius declarentur, & remedia conuenientia æquius præscribantur ab iis, qui ea ab initio malè informati comprobauerunt, vt ea velut clauis clauos expellant, & abrogent.

Ferre ergo coacti sunt Medici omnes ignorantias, errores & imperitias tonsorum, quos primarius barbitonsor genuit, nullo lumine veritatis, scientiæ Chirurgiæ & manuariæ instructos, nec vllis bonarum artium disciplinis initiatos, quos per vniuersæ Galliæ partes, vrbes, oppida & pagos, per militaria castra, per nosocomia diffudit: qui non alia tyrocinia artis, adeptæ, nulla magisteria, quam assiduas & crebras ægrorum mortes proferunt. Quotquot enim vernæ sunt, asseclæ, serui, cursores, pedissequi, agasones, stabularij, pigmentarij, capillorum rasores, trichotomi, balneatores, tinctores, infectores, reunctores, ἰατραλεῖπται: totidem hodie sunt, qui officiis, & operibus Chirurgiæ gaudent & præsunt: Quos ignarissimus hominum primarius barbitonsor non modo ab ambitu Medicinæ & totius medicæ professionis sejunctus & alienus, verum etiam ab aliarum artium commercio omni seclusus, eo solo nomine quòd sit trichotomus in aula Regia primarius, etiam esse debeat in eadem Chirurgus primarius, (cum sint in ea & passim in regno officia distincta,) seque etiam operis chirurgici tonsorij & operarij Medicinæ rationalis tam sublimis principem prædicare debuerit. Sicq; omnes quos nunc recensuimus, & quales ij sunt, qui sub Præfecto magno machinarum bellicarum, & qui sub magno Præposito curiæ Regiæ militauerunt, & qui innumeri magistratibus & magnatibus subseruierunt, vltimum habeant ad Chirurgiæ

literas à primario barbitonsore, non nisi pretio magno emptas, perfugium, quos sibi supponit & ordini suo inserit non aliis studiorum & tyrociniorum, probationum & magisteriorum testimoniis, quàm quod ita sibi placuit: quos aliam ob causam non examinat, quàm vt per se, & per alios, suos ægros quotidie exaniment.

Ex iis clarè notum est, quare tanta sit multitudo Chirurgo-tonsorum toto Regno sparsorum, in vrbibus, pagis & villis etiam minimis: sed quæ contra rationem omnem, & contra iura politiæ, tanta copia circumfluat, & abundet, sintque officinæ medicæ in tonstrinas commutatæ, Chirurgia in trichotomiam, cosmetice in commoticen, pigmentariam, infectoriam, tinctoriam, balneatoriam, hypocausticam, sudatoriam, vnguentariam: modioli, trypana, forfices, volsellæ, nouaculæ & reliqua chirurgica instrumenta, in sicas, gladios, & laqueos iugulatorios. Et cur Medici ipsi luscos, vt aiunt, equos in asellos cæcos mutaverint, hoc est Chirurgos in tonsores innumeros, qui sunt barbitonsoris primarij seminaria fertilissima, agrestes plantæ, quæ fœcundius, quàm salutares luxuriant, nempe tabernarij & sordidi quæstus auidissimi. Quid enim ingenuum habere possunt tabernæ, & ij qui in sordida arte versantur? inquit Tullius: quique opera quæque variarum artium & professionum, quas nuper retulimus, contra leges ciuiles in vnam complectuntur, non in pagis solum, quod tolerabile esset ex legislatorum statutis; sed etiam in magnis ciuitatibus, in quibus cautum est, ne vlli pluribus officiis & operibus se implicent, & variis ministeriis deserviant, vt opera quæque vtilius, decentius & melius arte, iudicio & manuum dexteritate singula perficiantur, ne

sint qui pluribus intenti minores habeant ad singula sensus, ne sint qui duos secuti lepores, neutrum capiant.

Quis enim miretur, si etiam ex hac Chirurgorum panurgia vrbes peritorum penuria laborent, in pœnas eorum qui hæc permiserunt? qui non iudicant, aut iudicare nesciunt, eos qui multa complecti volunt, pauca consequi: eos qui scire & facere se omnia sufficienter & arroganter prędicant, inscios esse & insufficientes ad omnia. Nemo enim sapiens & prudens scire se & facere posse promiserit, aut etiam crediderit, qui nullam artem particularem didicerit, nec in vlla sese exercuerit, sed ad omnia se sufficientem & idoneum esse proclamauerit.

Attamen corpus hoc heterogenes & diuersis conflatum hominum infimorum & ignorantissimorum generibus, tanquam portentum, omnes impetit, tanquam mulus in Medicos magistros assiduè calcitrat & digladiatur, manicatos scabit vt muli mulos, pharmacopœos cribrat, pungit eos qui venas secant, capita balneatorum lixiuiis suis terget, barbam radit politicis, ægros tundit & tondet, radit & deglubit, in omnium iura, officia & ministeria inuadit, lites in omnes contestatur, quas demum cum nihil habeat proprium quod didicerit, cum nihil suum possideat, cum rerum sit omnium egenum, necesse est vt aliena occupet, & quocumque modo quadra victitet alienas cum sit omnibus, & reip. monstrosus partus, in vanis promissis, in erroribus continuis, in inuidia, in dolis, in fallaciis, in mendaciis, in conuitiis, in maleficiis, ~~vt non tria tantum sint κάκιστα κάππα, scilicet Cilicum, Cretensium & Cappadocum, sed quatuor, nem~~pe etiam Chirurgorum, contra naturam

genitus,& contra regulas aliorum ordinum factus, agreſtis, immanis, indomitus, peſſimus. Siquidem ſunt beſtiæ feræ, incultæ plantæ, frutices agreſtes, ſerui dominis ſemper ingrati, immanſueti, nunquam cicurabiles, ſteriles muli, magiſtris, magiſtratibus, ciuibus, ægris hoſtes infenſi, nullius eruditionis, peritiæ, mentis, manus, operis, vtilitatis, officij & beneficij capaces, ad ſola mala & maleficia nati & comparati, vt omnes fallant, & ęgros malè perdant ac miſerè torqueant, excrucient & interimant.

Vnde enim tot neruorum & arteriarum ſectiones, punctiones, dolores, aneuryſmata, ecchymoſes, inflammationes, abſceſſus, gangrenæ? Vnde tot membra, tibiæ, pedes, brachia inualida, exoluta, mutila? Vnde tot vlcera per ſe benigna, euadunt maligna, fiſtuloſa καρκινώδη?

Vnde ſimplicia tot vlcera, complicata redduntur concurſu tot affectionum, tot morborum, tot cauſarum, tot ſymptomatum; & pro contumacibus, malignis, ſcrofuloſis iniquè iudicata, & imperitiſſimè derelicta? Vnde tot ſimplicibus cutis inciſionibus, intemperaturis, fracturis, luxationibus, & vlceribus accedunt ſymptomata, & ipſa ſæpius internecio inopina?

Vnde tot diſtorta membra, tot gibboſa, tot fracta, deformia, aut indirectè repoſita, aut indebitè ligata, aut inęqualiter locata?

Vnde vulneribus tot melaſmi, tot putredines, tot ſphaceli, tot ſcirrhi, niſi quia aut immoderatius refrigerata, aut impenſius calefacta, aut grauiùs oppreſſa, aut arctius deuincta, aut immaturius reſoluta ſunt?

Vnde tot ſuſcepta operationum diſcrimina ſine vlla cauſarum, morborum, ſymptomatum, partium & remediorum, ne dicam particulari, ſed etiam generali notitia?

Vnde

Vnde tot complicatarum differentiæ affectionum, sine vlla distinctione ordinis, necessitatis, vrgentium causarum, circumstantiarum essentialium & accidentalium, in tempore, quantitate, qualitatibus & modis; & sine vlla operationum conuenienter & apposité dirigendarum vsurpatione?

Vnde vulgaris illa, semper æqualis, & vniformis, ordinaria, solo instinctu, sola consuetudine, aut solis exemplis operandi prauitas?

Vnde consueta indifferens illa leuium cum grauibus & periculosis par & æqualis hallucinatio, susceptio atque deceptio?

Vnde tam facilis & expedita, cum non est opus secandi, vrendi, cruciandi temeritas, audacia atque libertas?

Vnde tot inutilium, tot noxiorum, tot periculosorum & torquentium remediorum vitia, totque operationum maleficia?

Vnde tam frequens remediorum mutatio? Vnde repellunt cum attrahendum est, indurant cum emolliendum, incrassant cum incidendum, putrefaciunt & liquant cum tergendum? Et ne sim longior, vix vnquam propria, sæpè contraria præstant, obsunt sæpius, nec vnquam prosunt.

Vnde post tot dolores, tormina, cruciatus, vigilias, languores, damna, infortunia læsæ sanitatis & ereptæ vitæ, etiam transit in ægros mortuos conuitium?

Cur intemperantia culpatur, vltróque qui periere, corpore alioquin robustissimo, & animo mansuetissimo & patientissimo, innocentissimi arguuntur?

Vnde tot errores, tot crimina seueritate iudiciorum & legum castiganda? Sed de iis postea, cùm de Politicis agemus.

Quantam ergo habent dolendi & gemendi occa-

ſionem Medici, cum vident ſuam Chirurgiam chirurgorum & tonſorum iſtorum ignorantia, imperitia, audacia, temeritate, & nequitia dilacerari & profanari? ægros excarnificari, torqueri & trucidari, & quod grauius & intolerabilius iis eſt, nulla ſpe tantæ immanitatis deſituræ ſolari?

Dicent, aliquos reperiri in magnis vrbibus, licet latinè & græcè ineruditos, methodicè tamen, & rationaliter, ac medicè rectè operantes: Licet verè reſpondeam, aliud eſſe, aliud videri: & ſolos veros Medicos, eorum quæ ſunt artis ſuæ eſſe iudices; ecquid eſt vnus aut alter ad innumeros? An quæ rara, ſunt artis? Quid reliqui miniſtri ægris, Medicis & Medicinæ rationali attulerint damni, paucis conficiamus. Succedunt primi poſt Chirurgos

Pharmacopolæ, olim gemmarum, & margaritorum mercatores primùm, poſtmodum etiam medicamentorum, quibus poſtquam vnguenta, ceromata & litus adiunxerunt, myropolæ, myrepſi & ſeplaſiarij, rhopopolæ etiam vocati; habebant officinas ſuas omni genere materiæ medicæ refertas, qua per incuriam Medicorum multis modis abutebantur, tam ſimplici quàm compoſita: ſeu quia eam adulterabant & corrumpebant, ſeu quia Medicorum compoſitiones inſcitia & perfidia ſua æmulabantur.

Vtroſque, tam medicos quam mercatores illos, ſuis tēporibus Galenus acerbiſſimè perſecutus eſt, quòd materiam medicam tam ſacram, tam pretioſam, & tam neceſſariam pollui & profanari per huiuſcemodi mercatores, adulteratores & corruptores paterentur.

Quo ergo ſtomacho noſtros reuomeret Medicos Arabiſtas & Semidogmaticos? quibus ſpiculis eos confoderet, & rationibus confunderet & inſectaretur, ſi viueret, qui delectus, præparationes, compo-

ſitiones, probationes ſimplicium & compoſitorum medicamentorum tam leuiorum quàm potentiorum ignaris, imperitis & improbis, non tam examinandas, quàm exanimandas vltrò dimiſerunt & conceſſerunt? & in partem atque ſocietatem officiorum ſuorum & operum adiunxerunt? & cum eſſent miniſtri, mercatores, pharmacopolæ, botanici & rhizotomi, Pharmacopœos eos creauerunt, tanquam medicos, quæ vox ſolis competit Medicis.

Quæ, inquam, vterque, Hippocrates & Galenus, in Medicos hodiernos probra infligeret, qui totã Pharmaciam, theoreticam & manuariam, methodicam, admirabilem Medicinæ partem, tam illotis, ſordidis & inhoneſtis manibus tractandam crediderunt, quæ à ſolis terſis, honeſtis & ſacris olim contrectabatur; Heroum, Regum, Pontificum, Imperatorum cultu, cura & ſtudio digna habebatur, tanquam regina rariſſimis, pretioſiſſimis & exquiſitiſſimis naturæ ornamentis dotata, elegantiſſimè decorata, abundantiſſimè ditata, & ſummè veneranda? Quicquid enim natura in ſuo ſinu, velut in locupletiſſima & inſtructiſſima penu & theſauro, habet reconditum, id totum ad vſum hominum Pharmaciæ ſubordinauit, ſoliſque Medicis meritiſſimis credidit & confidit: nunc verò velut ancillam in tabernis ſordidis & olidis, & tanquam in fæculentis lacubus immergi, & putrere tabernariorum, velut Harpyiarum fœdo contactu, regias illas ægrorum dapes exquiſitiſſimas contaminari, antidota ſalutaria in præſentia venena conuerti, medicaminum virtutes euirari, & quod natura ad ſalutem hominum tam cumulatè, & tam gratiosè Medicis ſuppeditat, an tuliſſent Hippocrates & Galenus, aliique egregij Medici in ἀισχροκερδίην & infamem negotiationem mercatorum cedere & com-

mutari ? Medicinam nundinariam, venalem, quæstuariam, emptitiam, illiberalem, sordidam, mechanicam, mercenariam fieri ?

Nam cùm pharmacopolæ & reliqui mercatores non sint ad officia & ad opera libera & liberalia nati & comparati, sed solis tabernarum negotiis quærendi, emendi, vendendi, adulterandi, cauponandi, fallendi, accumulandi, numerandi & suam rem quoquo modo faciendi apti & idonei ; an iis Hippocrates, Galenus aliique principes Medicinæ sua ista nobilia munera, officia & opera commisissent, vt omnia in Medicinæ operibus destruerent, corrumperent, deprauarent & disperderent ? Ac sanè ne quis dubitet, eadem ipsa à nostris hisce tabernariis contigerunt. Vbi enim nunc cinnamomum verum, acorus verus, veratrum nigrum Hippocratis, bolus armena, turbith, balsamum, scammonium Græcorum, vnicornis, terra sigillata, bezaart, & alia innumera vera, quæ nunc aut exoleuerunt, aut euanuerunt, aut perierunt, Pharmacopolarum, quos Pharmacopœos esse voluimus, ignorantia, ignauia, negligentia, & incuria summa, aut sua malitia & lucri cupiditate, reiectis caris & raris, in ἀντιβαλλόμενα inualida, tabes & cadauera mercium innumera, sordes officinarum & recrementa, quid pro quo commutauerunt, & pessima pro bonis substituerunt ; agaricum marem pro femella, aloen hepaticam pro socotrina, succum prunellorum simplicium pro acacia, radicem enulæ campanæ pro costo, irim nostratem pro Florentina, thapsiam pro turbith, aconiti radicem pro elleboro nigro ?

Miseret me vidisse præceps exitium Dominæ de la Vergne errore Pharmacopolæ seu Pharmacopœi repentè post haustum pro elleborismo aconitum,

intra tres horas ereptam fuisse, sicque tam simili facie euentum tam dissimilem accidisse. Si milia si imponant etiam peritissimis Medicis, & oculatissimis, quidni sint familiaria & vsitata ignarissimis, imperitissimis & occæcatissimis ministris? Vt non mirum sit, si hic noster Pharmacopola tam citò Dominam de la Vergne interemit, quam Pharmacopola ille L. Clodius circumforaneus Anconitanus, qui vbi transegit cum Oppianico LIS. quadringentis, simulatque introductus est ad Dineam socrum ægrotantem, rem confecit, primaque potione mulierem sustulit. Quid mirum, si quod ille Pharmacopola sciens & prudens, hic inscius & imprudens eodem veneno compleuit? Nostrorum namque tam supina est ignorantia, vt vix legant, & intelligant, vixque etiam barbarè scribant & loquantur. *Cicero orat. pro Cluent.*

Mirum ergo non est, si tam peruersè, tam infœliciter & tam calamitosè semper operētur? Si antea legerint, scripserint & protulerint liquiritiam pro γλυκύῤῥιζα non glycyrrhizam, bruscum non ruscū, iusciamū non hyoscyamum, endiuiam non intybum. Si sumant lilium pro lolio, aut lolium pro lilio, œsipum pro hyssopo, aut hyssopum pro œsipo, chamæleontem pro chamælea, aut chamæleam pro chamæleonte. Si in verbis, multo magis in rebus. An in auratis illis & cæruleis pixidibus & arculis, panaceas, antidota, alexipharmaca contineri putas? Ægyptia templa dixeris, exteriora auro micantia, interiora horrentia felibus, monstris, cæpis, porris pro diis culta. Sic Pharmacopolarum vasa antimonialibus, mercurialibus, sulphureis, venenis, cantharidibus, aconitis, chalcanthis & innumeris rancidis, exoletis, putridis aut corruptis, fœtidis & cadauerosis referta sunt simplicibus & compositis. Cur hæc omnia? Quia for-

ſan non tam malitioſè, quàm ignoranter, aut etiam vtroque modo, non internoſcunt perfectè, non præparant integrè, non componunt inculpatè.

An verò idonei ſunt deligere & probare per ſubſtantias, per conſiſtentias & qualitates viſiles, tactiles, odorabiles, & guſtabiles earumque differentias omnes, per quantitates, per facultates primas, ſecundas, tertias & quartas, & per totidem actiones, demum per loca, climata, terras, regiones, ſitus, inſolatus & tempora, quorum nulla iis eſt notitia, nec mens eorum vllatenus eſt iis arte inſtructa?

An in omnibus præparationum differentiis, actiua paſſiuis conuenienter aptare & ſociare poſſunt ij, qui quæ ſunt actiua, quæ paſſiua, & quo quæque in gradu, qua materiæ conditione iungenda, vt inde vires exoptatæ & fœlices effectus enaſcantur, quid quæque præparatio ad ſalutarem vſum conferat, quid plus, quid minùs importet ignorant?

An componere ordine, proportione, numero, menſura, coctione, tempore, modo & aliis ad internam aut ſeruandam, aut comparandam integram virtutem, aut ad nouam introducendam apti & idonei illi eſſe poſſunt, qui externam & accidentariam tantum oculis corporeis reſpiciunt, internam oculis mentis intueri & aſſequi nequeunt? Quia vt his ſunt prorſus inepti, ſic ad computandum, corradendum, vendendum & fallendum ſunt aptiſſimi.

Quærat, precor, aliquis ex eis primarum qualitatum, quas actiuas dicimus, differentias & gradus, ſimulque paſſiuas materiales conſiſtentiæ, liquabilium, concretilium, mollibilium, flexibilium, frangibilium, tingibilium, fragilium, contuſibilium, formabilium, preſſibilium, tractilium, ductilium, fiſſibilium, ſciſſibilium, tenacium, friabilium, quatibi-

lium, combustibilium, exhalabilium.. Quærat an saporum differentias aliasque in singulis mistis vegetantibus, sensitiuis, & metallicis internoscant, vt quæsitas ex his virtutes præparent, componant & eliciant integras, nec in eo quod magis & minus peccent? Quis sanæ mentis mercatores illiteratos in iis fore lynceos sibi persuadeat, aut æger, aut Politicus, aut Medicus, vt sanitatem, vt vitam, vt gloriam suam tam ignaris & imperitis, illiberalibus & mercenariis confidere debeat? An non ad hæc Pharmacopœus vt sit idoneus, debet esse Physicus & Medicus egregius, vt sit naturæ genius, non tantum in generalibus prædictis, qualis fuit Aristoteles, primo annorum instituto Pharmacopola; sed etiam in particularibus, qualis fuit idem Arist. quando ex Pharmacopola factus est Physicorum Philosophorum princeps Peripateticus, quinetiam, vt non pauci volunt, Medicus summè theoreticus, quales fuerunt Hippocrates & Galenus, & quotquot posteriores vixerunt clari & classici Medici?

Sic certè clarissimum Syluium puduit suos dicare Pharmaciæ libros, methodi deligendi, præparandi & componendi medicamenta tam ignobilibus & immeritis apothecariis, quando scripsit, neminem sanæ mentis confessurum munia & officia Pharmaciæ hominis ineruditi iudicio indigna esse, cum vires medicamentorum ab eorum omnium exactissima notitia pendeant, sine qua ad vsum salutarem in Medicina efformari & comparari non possunt, sed potius infirmari, destrui, atque perire? An ex iis certa & integris viribus indubitata formabunt, rarefacientia, condensantia, aperientia, occludentia, mollientia, indurantia, incidentia, incrassantia, obturantia, ecphractica, purgantia, tergentia, astringentia, septica, es-

charotica, diüretica, hidrotica, cephalica, hysterica, & id genus alia pharmaceutica, ac præ cæteris antidota solennia & cathartica potentissimarum virtutum medicamenta, in quibus plus minus, non modo in exhibendo, sed etiam in deligendo, præparando & componendo vires exoluit in ignauiam, aut acuit in venenatam perniciem?

Cum ergo nihil ingenuum habeant tabernæ istæ, sed sint omnes sordidæ, deceptionum, fallaciarum, mangoniorum, infidelitatum, & perfidiarum promptuaria, nihil in iis ratione & methodo fiat, arte & disciplinis necessariis careant, cur non in Medicinæ, Medicorum & ægrorum ruinam dicantur institutæ, quamdiu fuerint Pharmacopœis addictæ solis?

Vix credas, quibus artibus vsi sint, quantum dies noctesque in excubiis peruigilauerint, vt occasionem captarent, qua mercium suarum assidua distributione rem suam familiarem augerent, & nimia vulgi credulitate, quæ medicamentis, non methodo, fidit, abusi sint, vt ex ægrorum dispendiis sua facerent compendia. Etenim cum se totius apparatus pharmaceutici generalis & particularis, non tantum depositarios, sed etiam proprietarios esse sibi persuasissent, inde etiam ægris non modò familiariores amicos, sed etiam vtiliores ministros, tanquam domesticos magis necessarios, quàm Medicos, ipsi se exhibuerunt, quibus se tandem suaque liberius ægri commiserunt & crediderunt. Ad quod non parum contulit, quod se medicamentorum solos opifices & diligentissimos obseruatores virtutum, Medicos verò Pharmaciæ totius prorsus ignaros publicauerunt.

Postquam ergo votorum expectationi fœlix quem sperabant successit euentus, & assidua sedulitate, fictaque amoris & officij simulatione, conceptam fide-

litatis

litatis &experientiæ remediorum opinionem, fidem & gratiam apud ægros ſibi conciliauerunt, mirum quanta poſtea ex ſe ſoli auſi ſunt tentare & aggredi! Primum quidem iactare paſſim omnia, quæ præ manibus habent medicamenta, ſummè omnibus ægris & morbis eſſe ſalutaria. Etenim materialia tantum licet aſſeruent, indeterminata, & ſemper noxia: formam tamen dare ſe poſſe, qua ſint definitè & ſemper ſalutifera, vel mentis errore, vel prauitate polliciti ſunt. Exinde omnis generis medicamina externa & interna ad ægros, velut ad publicas nundinas & emporia, & pro ingenij vafritie mala quæque, leuia & vilia pro bonis, generoſis, caris & raris tranſtulerunt; aut etiam per venales Medicos & ingloríos in partem latrocinij ſociatos, ægros deprædati ſunt. Aut ſi qui eſſent Medici, quos turpi quæſtu & ſordido illo lucro non allicerent, quique in ſchedularum ſarcinis eſſent parciores, qui phœnicis nidum, aut crocodili ſanguinem, aut vniones & monocerotem non præſcriberent, aut in laudes Pharmacopolæ & Pharmacopolij poſt curationis malè initam rationem non excurrerent, eos tanquam lac agnis & ſuccos pecori ſubducentes ab ægris, conuitiis ſuis, eliminarunt. Agnos ergo dum ſe oſtentant, quis non rapaciſſimos ouium lupos, non ouium tonſores, ſed deglubitores agnoſcat?

Hæc autē & innumera alia cùm ante 40. annos Facultas Pariſina haberet exploratiſſima, atq; ægros totius regni in iiſdē verſari vitæ diſcriminibus & fortunarum ſuarū dānis eſſet admonita, libellum ſupplicē Curiæ ſupremæ obtulit, vt inſolentē Apothecariorum Pariſienſium totiuſq; regni licentiā & effrænatam audaciam authoritate & poteſtate ſua reprimeret, eoſque in ordinem ſuum reuocaret, damnis ægrorum, Me-

dicinæ infamiæ, conuitiis in Medicos per eos ſparſis, & malis ingentibus, ne diutius perſeuerarent vel augerentur, occurreret.

Accipe ſi lubet, quod ſcripto edito in ſuam defenſionem protulerunt, *factum* forenſes vocant.

A quo tempore Medicina ſeparata fuit in ſuas partes, centum circiter annis poſt Hippocratem, pharmaciam apothecariis fuiſſe demiſſam & creditam, vt chirurgiam chirurgis & tonſoribus, diætam verò ſolis Medicis fuiſſe relictam.

Proprium igitur & adæquatum habuiſſe ſubiectum medicamentum, cuius ſoli notitiam eſſent conſecuti, & circa illud operas ſuas collocaſſent, vires & proprietates perſpectas haberent, in vniuerſum diſpenſarent, & cuique familiare & definitum accommodarent.

Pharmaciam ergo integram theoreticam & practicam ſolis in officinis retineri & aſſeruari, totam in iis doceri & declarari, nunquam ab Hippocrate ita excultam, nunquam ab Ariſtotele ita intellectam, nec vnquam à Galeno ita deſcriptam, nec ab vllis Facultatibus publicè & particulariter demonſtratam.

Nec etiam permittere ſe tyronibus officinarum & pharmaciæ candidatis, vt in ſcholas publicas aut priuatas Medicorum concurrant, cum nihil ſcientiæ illic generalis, nihil notitiæ particularis. quæ operationibus declaratur, mente & manu, ratione & methodo artis docerent medici & oculis ſubiicerent.

Atque vt falſi crimen obiectum non argueretur, id euidentiſſime demonſtrari, quod 100. ab hinc annis, decretis à Curia pluribus, iuſſum eſſet Pariſienſibus Medicis, vt medicamentarium codicem, antidotarium vocant, ederent, in quo catalogus ſimpli-

cium deſignaretur, & formulæ compoſitionum deſcriberentur, quas omnes æqualiter officinæ pręparent & aſſeruarent: Medicos vero præ inſcitia rerum pharmaceuticarum nunquam potuiſſe illum perficere, cui elucubrando & abſoluendo trimeſtris nouitius pharmacopolij, triduo ſufficeeret.

Inde cauſas patere omnibus, cur Apothecarij iniquè ferrent ſingulis annis à Medicis ſuas apothecas & pharmacopolia luſtrari, cum medicamenta cenſere non poſſent quæ haberent incognita, tam ſimplicia quam compoſita; nec ferre etiam poſſent reſponſiones ſuorum tyronum, medicamentorum probationes, pręparationes, miſcendi modos, & magiſteriorum ſuffragia, Medicorum ſubiici iudiciis, iiſque pręeſſe Medicos, quorum eſſent ignari penitus & inexperti. Quanto ergo minus æſtimandarum virium, pretiorum definiendorum, & eorum etiam apud ægros pręſcribendorum eſſe poſſe iudices? In cuius rei fidem ſchedas præ manibus proferebant ab iis ſubſignatas, qui in viribus, in forma, in doſibus & in ipſis etiam nominibus turpiſſimè & exitialiter peccabant.

Neceſſitatem ergo apparere Pharmacopolis ægros adeundi, inuiſendi, Medicorum ſcripta emendandi, addendi aut detrahendi, ne pro ſemiſcrupulo ſcammonij, aut tribus opij granis, integræ drachmæ deſcribantur, quæ viginti ęgris interficiendis pares eſſent; Medicos informandi, quibus quæque conſtant compoſitiones, qua forma, qua baſi, qua doſi, qua menſura quęque, quibus viribus, quam ob rem etiam ęgros iure meritóque maiorem Apothecariis ſuis fidem habere, quàm Medicis, quos non credunt habere morborum ſuorum, cauſarum & partium notitiam peręque veram & certam, ac medicamentorum,

Hinc natam litis mouendæ occasionem, hinc ortam Medicorum in Apothecarios inuidiam, quorum si Curiæ placeret certiorem habere prædictorum omnium notitiam & fidem, & diem Medicis & Apothecariis assignare, in ipsa arena statim exploraret, quinam sint Pharmaciæ doctores & peritiores, qui ipso iure anteponendi: an Medici, qui medicamenta nec animo peruadunt, nec oculis perspiciunt, nec manibus contrectant, sed à se procul abijciunt, ne ipsi polluantur & dignitati suæ derogent.

Omni ergo iuris ratione liberum esse debere Pharmacopolis ægros adire & inuisere, frequenter iis adesse, & modis omnibus medicamentorum opem afferre, nisi Senatui ęquius videretur solos retinere Apothecarios in vrbibus, & Medicos ab iis & à toto regno, vt olim Roma, depellere.

Quod insolens & inauditum cum ad aures Dureti Medici celeberrimi peruenisset, quo tempore Senatores rogabat esse ordini Medico beneuolos & æquos, & salutis publicæ sollicitos, coram illustrissimo Procuratore Regio, qui postea Curiæ supremus Præses fuit, nunc Regis Procancellarius est, exclamauisse vidimus, hanc promeruisse sibi pœnam irrogari, quod olim interpellasset pro Apothecariis ingratis istis apud Procuratorem generalem D. de la Guesle, qui per egregios Medicos Parisinos Feuvreum, Ellanium, & Petreum sollicitatus fuerat, vt Apothecarios, Pharmacopœos dictos (qui non alij erant, quàm antiqui Pharmacopolæ, mercatores materiæ medicæ, velut Harpyias, quæ dapes ægrorum immundo contactu fœdarent, & velut ignaui fuci, qui mellificium omne medicum vastarent & destruerent) à pręsepibus arceret, hoc est, eos ab omni opere medico reiiceret & expelleret. Quod sibi propo-

fuerat, ni obstitisset Duretus, cuius facti se non parum pœnituisse tunc vidimus.

Veteri quidem more retinendos esse Pharmacopolas seu Apothecarios seu Aromatarios (quę synonyma sunt,) Medici omnes conueniunt, qui materiam omnem medicam colligebant & asseruabant, quique ad delectum, præparationem & mistionem ministeria sua Medicis operantibus reddebant, & in sua vili & sordida manus operatione ex præscripto imperio & formula Medicorum toti pendebant & obsequebantur, quamdiu Medici medica & methodica ac rationalia sua opera peragebant, & formam, qua sunt salutaria & vera arcana medica, ingenerabant & imprimebant.

Ast nouos, quos tam Pharmacopœos, quàm chirurgos & tonsores ad opera medica arte, mente & manu perficienda Arabes, & Semidogmatici Medici subrogauerunt ineptissimos, nec vlla ratione idoneos ad deligendam, præparandam & componendam materiam medicam, nec ad diuidendum, vniendum & extrahendum in Chirurgicis, rationibus antea deductis esse rejiciendos & ablegandos omnes contendimus.

Vt enim antiquitus delectus, præparatio & miscendi modus, tam alterantium quàm purgantium nunquam fuit Pharmacopolarum, sic nec nunc esse potest Apothecariorum obiecto, fine & mediis proprius, sed solus fuit & erit semper Medicorum, qui vt corpus humanum & partes eius, sic medicamenta & instrumenta considerant in suis naturis, differentiis & proprietatibus, delectu, præparatione & miscendi modo comparatis, & methodo ad conseruandum aut sanandum, proportione certa accommodatis, non auctis, non imminutis, non læsis; qui-

bus efformandis vt ſoli ſunt apti, nati, pares & idonei Medici, ſoli ægris aſſidui, fidi & amici: ſic miniſtri Medicorum inſtitores ſemper fuerunt & erunt inepti, impares & infidi.

Nec eſt quod vulgus Apothecariorum aſſiduitatem fidemque iactet aliam, quam mercatorum propriam, nempe venalitiam, quæſtuariam, ſuis tantum commodis ſtudentem & inſeruientem, ſchedis tantum ſumptuoſis & amplis inhiantem, ſimplices & parcas auerſantem, ſibi res ægrorum, non ſe rebus eorum ſummittentem, & quocumque modo rem ſolum ſuam facientem, qui quicquid ægrorum ſors tulerit, vitam in annuos reditus, mortem per exenterationem, euiſcerationem & pretioſiſſimam quandam ταρίχευσιν in lucrum reputet.

An non ergo tam ſuſpecta eſſe debet hæc ſedulitas, tam infida fidelitas, vt Medicum eſſe aſſiduè peruigilem neceſſe ſit, ne iſti, qui circumeunt lupi quærentes, oues non tondeant modo, ſed deglubant & deuorent, & aliquid tam in ægrorum diſpendium, quam in odium & inuidiam Medicorum, & in artis contumeliam ignorantia, errore & animo malo meditentur, aut innata auaritia moliantur.

Diximus Pharmacopolas in omnibus circa delectum, præparationem, & compoſitionem non potuiſſe non errare, & in eam etiam audaciam veniſſe, vt apud ægros pro Medicis gerere ſe auſi & publicè etiam in foro oſtentare & prædicare, ſe eſſe Medicis peritiores non erubuerint. Antequam contra eos vera eſſe quæ adduximus concludam, non pigebit hiſtoriam hanc antiquam, ad quam noſtri quotidie Pharmacopolæ ſeſe componunt, attexere pro coronide.

Susceperat Galenus ægrum curandum febre putrida acutissima, quem cum intra quatriduum,vt pro more erat antiquis principibus Medicis, sufficienti euacuatione per sanguinis missionem largam exonerasset,& suffocationis periculum pręsens anteuersum, & coctio humorũ celerius accelerata esset,cuius signa constantia innotescerent, & spes certa adesset naturæ tempore criseωs de febre triumphaturæ, quod ęgro & adstantibus significasset & promisisset, modo in pręscripta lege diætæ perseuerarent, nec quidquam innouari & immutari diligenter cauerent, & ne quidpiam externum contingeret curarent, quod naturam ab instituto suo deturbaret; naturæ motus esse certos, modo erroribus aut casibus vllis non auocetur & intercipiatur. Quieto ergo & securo esse animo eos esse monuerat, & ab omni remediorum vsu feriari, & nihil addi & detrahi pręscriptis.

Vix ab ægro cum secessisset, ecce Pharmacopola ex triuio,qui nomine viciniæ, amicitiæ, & fidelitatis, specie ministri naturæ & artis corã omnibus insultans & imponens,tanquam alter Æsculapius, sciscitatus, quæ cura ægri haberetur, quæ essent diætæ & remediorum leges pręscriptæ. Quas postquam audiuit, vocem altius emisit; Siccine ægrum oportuit tam fractis viribus parcissima dięta recreare & reficere? Siccine remediorum externorum & internorum ope & subsidiis priuare? Agite,agite mecum diligentius, cibos plenius ingerite, huic negotio quauis hora incumbite, reliqua ex Pharmacopolio conferam salutaria medicamina.

Æger & adstantes, velut ex tripode, oraculo Pharmacopolæ credunt, vberrimè corpus alimentis replent, & saginare ad reparandas vires enituntur, nulla non hora sorbere & ingerere co-

gunt. Ad nutum ingentem medicamentorum farcinam sedulus ille Pharmacopola ad ægrum transfert internorum & externorum, roborando cordi, inquiebat; vindicandis partibus principibus, exquisitissima & pretiosissima, eaque specifica, nebulo ex longinquis locis aduecta ventilat & exaltat. Monent & mouent ægrum, ad hæc omnia sollicitant, agitant, suffocant, diu noctuque conturbant.

Iam tunc exacerbatur febris, torquetur ventriculus vomitionibus, singultibus, nauseis, aqualiculus distenditur, venter onustus disrumpitur, siti implacabili afficitur, frangitur vigiliis, recrudescunt humores, aluus soluitur liquidis & crudis copiosis, sublimiter & crebro respirat, exedit calor putredinosus interanea, & solidiores partes colliquat & occupat, delirat, deiicitur, vires deficiunt, extima refrigerantur, diffluit madore diaphoretico, rapitur æger.

Aduenit Galenus ad anhelantem animam, & extrema ducentem suspiria. Audit quæ se absente peracta sunt: An istæ sunt, inquit, vicini amici, fidelis ministri naturæ & artis officia & beneficia salutaria; an non potius hostis naturæ iurati maleficia, pœna quauis luenda? An hæc fiducia Pharmacopolæ & sedulitas fuit Medici fidelitati, arti & iudicio præferenda?

An non sunt hęc adhuc & fuerunt semper Pharmacopolarum veneficia? An hæc semper leges vt iusta sinent? An hæc vt fuerunt semper, sic erunt Politicorum licentia crimina perpetua & impunita?

Ad Aromatarios venio, qui olim erant Pharmacopolæ, rhopopolæ, myrepsi, myropolæ. Ab eo vero tempore, quo Pharmacopolæ ad officia medica Pharmacopœi potius vocati sunt, secum pharmaca medica omnia ad proprias suas tabernas abduxerunt;

duxerunt; Aromatariis verò axungias, ceram, butyrum, ſuillas coxas, ſaccharum, & aromata, potius quam ſimplicia & compoſita medicamenta reliquerunt, qui ſoli ab externis & longinquis ac remotis terrarum partibus ea quæ tam ſunt omnibus communia, quàm quæ ſunt Pharmacopœis particulariter neceſſaria medicamenta, tam alterantia quam cathartica, aduehi curant. Sed cum ſint mercatores ad quæſtum & lucrum pariter nati, impura potius, euanida, adulterata, caſtrata, corrupta, cadauera mercium, nauium ſordes potius negotiantur & aduehunt, quæ vili pretio emuntur, vt ea carius vendant & pleniùs lucrentur, quam integra, vitalia, perfecta, vera, pura, certa, exquiſita, quæ cariora minori ſibi lucro cederent. Cumque etiam meliora non agnoſcant, nec ea etiam quærunt, aduehunt & tranſportant: nempe quia deſunt periti in iis locis, oculati cenſores in regulis integritatis, & in arte mangonij exercitati, qui illic, & apud nos naues & officinas luſtrent, & vitia mercium, iniquitates & adulterationes ſignent, notent & rejiciant. Quæcumque enim medica ad nos tranſportant, ſunt potius idonea tincturis, & artibus fucatoriis, & veterinariis ad curandos equos & mulos, quam ad ſanandos homines ægros conuenientia. Siquidem tabernariis ſtudium ſanitatis & vitæ hominum non eſt tam inſitum, quam rei domeſticæ adaugendæ.

Vbi ergo ſunt Hippocratis Crateuæ, & inſtitores Galeni, quos in varias partes terrarum hodierni Medici tranſmittant & alant, qui optimas merces medicas ſeligant fideliter, & deferri integras procurent, quorum miniſteriis ſuam quotannis penuriam ſubleuent, exoletorum defectus renouent,

mercatorum fucos, lenocinia & adulteria caueant, ἀντιϐαλλόμενα abiiciant, suos ægros ab omni fallacia & iniuria, suamque gloriam ab omni probro & contumelia vindicent? Sanitas enim ægrorum & vita gloriæ & honori Medicorum tam indissolubili vinculo adnexa esse debet, vt non modo ignorantias, imperitias, opiniones & consilia quorumcumque suspecta & insidiosa habere debeant, sed etiam fraudes, dolos, fallacias formidare, quas non modo externi & alieni, ipsique ministri Medicorum Pharmacopœi, & Aromatarij, & alij quotquot Medicinæ seruiunt, fingere volentes, aut imprudentes consulere possunt, verum etiam Medici ipsi, nisi sint rationales, periti, noti, consummati & experti, fideles & probi. Qui fœlicem euentum susceptæ curæ tam sibi, quam suis ægris affectent, & certo sciant se aduersis mediis, medicamentis contrariis & instrumentis non appositis, non idoneis, non conuenientibus in substantia, delectu, præparatione, mistione & proportione, nihil vtile ægris & sibi gloriosum consequi posse: Et errores, qui putantur in Medicinæ operibus minimi & leuissimi vulgò, sæpe euentu maximos & fatales à Medicis peritis & probis iudicari, qui soli rerum vires & virtutes rectè iudicant.

Saga. Quis obstetrices vulgares hodiernas, Sagas & Sapientes nuncupet, magna ex parte stultas & fatuas! Quis eas obstetricandi artem docet? An Medici, qui turpe & indecorum suæ maiestati manuariam opem sæpe duobus à morte liberandis, fœtæ & fœtui, ferre existimant & sacramento prohibentur? An tonsores asellis stolidiores? An iurati pares? Minimè verò. Qui ergo sunt, qui omnia, quæ ad eruditionem Sagarum & ministrorum, ad tyrociniorum

& magiſteriorum certitudinem, & ad exercitiorum & peritiæ confirmationem neceſſaria ſunt ſubminiſtrant & ſufficiunt? Sagæ certè ſe ipſas vſu edocent & formant quouis periculo. Nec enim naturam & conformationem, ſitum, numerum, magnitudinem, figuram, læuitatem, aſperitatem, meatuum ſtructuram aut compoſitionem muliebrium genitalium, concipiendæ fœturæ rationales concurſus, partium generandarum tempora, modos & ſitus geſtationum legitimarum & illegitimarum, naturales parturitionum leges & non naturales internoſcunt. Cumque cauſæ ſint innumeræ in vniuerſum, externæ & internæ quæ noceant, periculum inferant, & ſæpe præſentem vtrique mortem intentent, an ſunt earum omnium gnaræ, generalium & particularium, artis & methodi peritæ & expertæ? An ergo rectè partus naturales iuuabunt ſine ſolertia mentis & manus peritia, & eos qui ſunt contra naturæ ordinem dirigent & emendabunt, & cauſas particulares ſummouebunt, quæ nihil eorum didicerunt?

Certè natura fœtæ & fœtus ſola vtrique eſt ad partus facilitatem & fœlicitatem medicina, obſtetrix vero ſæpenumero interitus alterutrius, aut vtriuſque cauſa princeps & primaria, cum omnia æquali trutina conſuetudinis, & opinionis ſuæ in omnibus grauidis & parturientibus metiantur. Quidni ergo ſemper mentiantur, & præcipitent cum fuerit procraſtinandum, & tardent cum fuerit accelerandum? Sæpiuſque fœtum viuum fractum, pertritum, diſcerptum, diſſectum & luxatum extinguunt & fruſtulatim extrahunt, aut vtrumque, matrem cum infantulo, è medio rapiunt.

Attamen ſint licet tam inſipientes & ſtolidæ, nihilominus vulgo conſuluntur de conceptionibus, de

ſterilitate, de geſtationibus, de abortionibus, de menſtruis, de lochiis, & de ſuperuenientibus à partu ſymptomatis innumeris, deque eorum cauſis & remediis. Quinetiam de educatione & morbis lactentium, de lactis & nutricum conditionibus, quaſi eſſent Socratis matri Phaneratæ illi ſeueræ, aut aliis Platonis temporibus μαῖαι, quæ tam ſagæ & ſapientes erant, vt dicerentur ἰατρῖαι, quæ poterant τὰς ὠδῖνας, inquit, excitare & mollire per pharmaciam, ægros partus leuare & opitulari, aborſus ſi quando neceſſe eſſet, arte procurare, aut, (quod infandum religio Chriſtiana inhibet) recentem necdum conceptam genituram excutere. Quæque artem medicam habebant cognitam, & generationis leges tam certas & exploratas, vt eſſent in iungendis coniugibus ad generoſæ prolis procreationem peræquè verſatæ & conſultæ, ac pronubæ in conficiendis coniugiis. Neque etiam ad obſtetricandum admittebantur, quamdiu ipſæmet concipiebant & pariebant, ſed tantum poſtquam concipere prorſus deſierant, vt artem vſu & exercitatione certius confirmarent, cum ſit humana natura imbecillior ad artes earum rerum quas nunquam experta eſt.

An ergo mirum, ſi noſtræ nulla ſunt ratione cum illis conferendæ, quæ nec inſtructæ ſunt arte, nec ætate exercitatæ, ſed inertes, rudes, nouæ, ſemper ſtultę & ſtolidæ? Cur ergo etiamnum de impotentia conceptionum & ſterilitate, deque prædictis omnibus, quæ ante partum & in partu, & poſt partum expoſita ſunt, interrogantur? Nempe quia notitiam rerum iſtarum, à Medicis nunc reiectam, & ad obſtetrices pariter deuolutam ſibi omnes perſuadent, non aliter quàm Chirurgiam atque Pharmaciam ad Chirurgos, tonſores & Pharmacopolas vi-

dent esse relegatam. Vnde si etiam partem sibi quique creditam artem suam gloriantur & prædicant, cur non etiam sagæ mulierculæ sibi etiam hanc totam tribuant & asserant?

Quid verò (ô scelus infandum!) plerique Medici ad eas referunt prędicta, vt de iis ex tripode pronũcient, velut Pythiæ Delphicæ, quibus acquiescant, licet imponant, nec veritatem penitius quàm Sagæ inquirant & explorent? Sed quanto grauius esset insistendum in insectandis illis & plectendis, quæ prostitutis ad genituram deturbandam, plerisque ad sterilitatem inducendam, gestantibus ad procurandum aborsum, vel enecandum in vtero fœtum pharmaca propinant, aut parturientibus in enixu ad conterendum fœtum se componunt?

Ministros autem clinicos, aut mulierculas, ægrorum custodes dictas, scias tam longè distare à doctissimis & exercitatissimis illis Hippocratis discipulis, (quorum curæ & curationi suos absens ęgros committebat, non tantum vt quæ superuenirent diligenter obseruarent, & reuersuro fideliter renunciarent, sed etiam vt diætæ præessent, & si necessitas adesset, Chirurgia aut Pharmacia vterentur) quam nostri sunt Medici, ministri & Sagæ ab antiquis discrepantes. *Clinici.*

Cur ergo Facultates suos neophytos, & cæteri seniores Medici iuniores apud ægros suos pro clinicis illis mulierculis, aut vilissimis mancipiis non substituunt? An quia metuunt, ne iuniores ægris tandem acceptiores habeantur, propterea inuidia sua vicarios habere nolunt? An quia eos in vera exercitatione methodica informare nesciunt, nec inexperta sua medendi ratio, tam chirurgica quam pharmaceutica, id sinit, cum pridem theoriæ praxim so-

ciare, & generalibus particularia iungere prætermiserint, tandemque etiam generalia cum particularibus neglexerint?

Maluerunt igitur infimos miniſtros è fæce ignobiliſſimorum plebeiorum euocatos, ſternendis dumtaxat ægrorum cubilibus, ſordibuſque tergendis idoneos ſuis ægris præficere, quam peritiſſimos & inſtructiſſimos artis diſcipulos: & clinicam illam partem therapeuticæ, iſtius ſortis & conditionis hominibus conferri, quibus Chirurgiam & Pharmaciam crediderunt, vt non aliter quam vulgus de rebus medicis inique iudicare videantur, ea ſcilicet quæ ſunt viribus & virtute in ſe maxima apud artis peritos, opinione vulgarium iſtorum & phantaſia minima reputentur. Etenim alimentorum differentias in ſubſtantia bona aut mala, quantitate copioſa aut parca, qualitate frigida aut calida, amara, ſalſa, acri, auſtera, acerba aut dulci; indecenter præparata, cruda, cocta, ὕστερον πρότερον & intempeſtiuè exhibita; Vigilias itidem, integumenta, ſermocinia cæteraſque diætæ leges, nullis regulis, quemadmodum pharmaceutica & chirurgica ſine legibus, vulgarium erroribus & opinioni relinqui ęquius Arabiſtæ iſti duxerunt, quam maieſtatem artis & dignitatem ſuam ad minima iſta quæ putant particularia (in quibus eſt artis gloria conſtituta) demitti, licet ſint natura ſua, virtute atque poteſtate maxima. Quaſi verò, inquit Hippocrates, non ſatis ſit miſeris ęgrotantibus tyrannicos morborum grauiſſimorum inſultus & cruciatus perſentire, & tot immaniſſimis cauſarum periculis exponi, niſi etiam errores indubitati ignorantiſſimorum, agreſtium, & vitia ſummè noxia & malefica imperitiſſimorum hominum accedant.

An ergo tot errores, vitia, crimina & maleficia, quæ ab ignorantia falſorum Medicorum & miniſtrorum procedunt, non indigent iuſtitia Regia, & cenſura ſeuera præſentis reformationis & caſtigationis?

Tempeſtiuum nunc curſum ſermonis ad Politicos flectere, qui pari ſunt ab Hippocrate ignorantiæ rerum medicarum notati vitio, quo falſi Medici. Paris ergo criminis maleficiorum, quibus profeſſio peruertitur, conſcij ſunt, participes & rei, dicam ampliùs authores primarij & pręcipui. *Politici.*

Contra quos eoſdem adducemus teſtes, quos contra falſos Medicos protulimus ex antiquis Catonem & Plinium, vtrumque maiorem, cenſorem ſeuerum, & vatem malorum, quæ Medicinæ & populo Romano per Politicorum ignorantiam, incuriam & licentiam contigerunt. Etenim prædixerunt, quandocumque Græci ſuos Medicos Romam miſerint, ſanitatem & vitam populo Romano adempturos, mores optimos eius immutaturos, & ipſis etiam Imperatoribus imperaturos.

Obiecerunt Politicis vitium tam facilis credulitatis, vt cuique ſe Medicum profeſſo facile crederent, cum non ſit in vllo mendacio periculum maius; quod arcana pręcepta, falſitates, nouitates & vanas promiſſiones Medici oſtentarent & iactarent, eas pretio venderent & medicinam mercede facerent, quo fides iis eſſet maior: ſicque facerent per ſuas artes & fraudes, vt nihil magis prodeſſe videretur, quàm multitudo graſſantium, nec aliunde maior lues malorum & morum populo Rom. accederet, quàm à falſis Medicis & Medicina: qui impunè per mortes agerent, omnia perderent, periculis hominum diſcerent. Quæ cum Politicis eſſent cognita, nullam tamen legem ferrent, qua punirent inſcitiam capi-

talem, nec vllum proferrent exemplum vindictæ tot grassantium.

Non puderet eos decurias pro more censuris principum examinari, inquisitiones per parietes agi, & qui de numis & adulterata moneta iudicarent, à Gadibus & Herculis columnis accersi: de exilio verò, non nisi die 40. quinque viris dari tabellam. At de iudice, quales in consilium eunt statim occisuri? Meritò, inquit, dum nemini nostrum libet scire quid saluti suæ intersit, alienis pedibus ambulamus, alienis oculis videmus, aliena viuimus opera. Indignissimum censuerunt sub tam augusto Senatu Romano, sub tam seueris Tribunis, sub tam potenti populo, suæ salutis & vitæ tuendæ tam prouido, artium omnium, veritatis, legum & iustitiæ tam auido, sub Imperatoribus, qui successerunt, tam generosis & magnanimis, tantam dari licentiam nefariis medicis per Politicos, vt de corio hominum tam temerè luderent, ęgrorum & sanorum vitam tam liberè & impunè adimerent, & rationali Medicinæ tantam iniuriam inferrent, nec vlli periti & probi Medici in ea crearentur, qui, sicut in aliis artibus & professionibus obseruari solet, de rebus, personis, actionibus & operibus Medicinæ sapienter & prudenter iudicare possent, vitia & maleficia, quæ in professione tam necessaria sunt publica, communia, & libera, noxia & exitialia vindicarent, sanitatem & vitam hominum, sartam tectamque innoxiè & inculpatè seruari curarent, & ne fraus & error vllus in tam multis & variis huius professionis partibus & artibus subiectis fieret, diligenter obseruarent & fideliter cauerent.

Sed longè indignius & iniquius est, per tot sæcula post Catonem & Plinium, tantam extitisse rerum obliuionem medicarum, vt cum Imperatore loquar, qua

quà tot vitiis & maleficiis iſtius profeſſionis, quæ ab ignorantia & licentia falſorum Medicorum & Politicorum promanauerunt, conſultum non ſit, legibus & iudicibus idoneis creatis.

Non quod Facultatum egregij Profeſſores & Doctores defuerint abhinc trecentis annis, qui Reges & Magiſtratus admonuerunt de criminibus & maleficiis ab ignorantia & licentia profanorum artis Politicorum, & falſorum Medicorum profectis, quæ corruptionem in doctrina, peruerſitatem ac deprauationem in diſciplina Medicinæ induxerant. Sed quia forſan non appoſitè & conuenienter eos ſupplicauerunt, nec qua forma, nec quo modo, nec quo tempore, nec Facultatum vocibus, conſiliis, ſuffragiis, poſtulationibus & nominibus, nec qua conſtantia & perſeuerantia, nec quibus par erat adductis cauſis, nec quibus æquum erat effectis demonſtratis & probatis, quibus perſuaſerunt clarè, euidenter & opportunè expoſitis. Ideo, vt apud Deum malè petita non exaudiuntur, ſic nec apud Reges & Magiſtratus exaudita fuerunt poſtulata medica. derent

Abhinc trecentis annis Guido à Cauliaco Doctor Facultatis Monſpelienſis, abhinc ducentis Briſſotus Doctor & Profeſ. Facultatis Pariſ. & poſt eos innumeri magni nominis Medici ea de re conqueſti ſunt. Sed verba tantum & voces emiſerunt, quibus hunc dolorem Medicinæ totius lenire poſſent.

Non aliam tamen ob cauſam Guido ſuam Chirurgiam edidiſſet, nec Briſſotus ſuam Apologiam, niſi vt ille miniſtrorum, hic Medicorum falſorum, & vterque Politicorum ignorantias, errores & dolos increparet & argueret, & caſtigandos vtroſque declararet.

Celebres innumeri & probi Medici ſecuti ſunt ab

hinc 120. annis Syluius, Cardanus, Fernelius, Dalechampius, Riolani, Dureti, Petrei, Gormelenus, Vidus Vidius, Hieronymus ab Aquapendente, Platerus & alij, qui eadem censura dignos Politicos, qua Hippocrates, Cato & Plinius censuerunt, & qua etiam Imperator apud Cassiodorum in formula sua Medica conquestus est his verbis. *Medicæ peritiæ deesse iudicem nonne humanarum rerum probatur obliuio? Et cum lasciuæ voluptates recipiant tribunum, hæc non meretur habere primarium?* Nempe quia ad iurisdictionem Medicam Regiam, qua professionis vniuersalis reformatio procuraretur, contendebant, & ad eam Reges & Imperatores, Cancellarios consistorianos & supremos torquatos & togatos Senatores ac primarios Medicos interpellabant, adiurabant & exorabant.

Ne quis dubitet, quorumdam referam sermocinia de eadem re. Syluius in epist. ad lectorem præfixa sex lib. Galeni de differ. & caus. morb. & sympt. hæc habet.

Vtinam hæc totius Europæ clarissima & legibus optimis constituta ciuitas non esset vsque adeò credula perditissimis tot impostoribus, cuiusmodi hodie in ea maxima turba est eorum, qui se Medicos mentiuntur titulo quodam secretorum, quæ hic à patre accepta iactitat, ille partim accepta, partim compilata gloriatur, alius ex Pharmacopœorum diario consarcinata venditat. Sed an hæc secreta, hoc est, efficaciora & probatiora sunt remedia, an verius cacodæmonum manus? Nam per se remedia nec salutem efficiunt, nec morbos, sed cum à Medico natura prudente & in rationali methodo probè exercito exhibentur, deorum manus & salutaria vocabantur Herophilo: cùm à stolido, literarum omnium ignaro, venefica manus quidni appellentur? Quam rem operibus quotidianis apertè

teſtantur, dum purgantia quotidie ægris imperant, quibus tolerandis ne equus quidem fortiſſimus par fuerit. Vides Gallia, quam iniquè ab Æſopicis iſtis corniculis & purpuratis ſimijs illudaris. Sed communis hæc arrogantia eſt atque vſurpatio pharmacopœis, rhopopolis, reunctoribus, tonſoribus, aliptis, obſtetricibus, clinicis mulierculis ac ægrorum miniſtris.

Quid quod anus ſurdaſtra, ſorditie, annis, pannis obſita, lippa, in medio proſtibulo educata, etiam ex lotio ſe morbos & affectas partes indicare apud rudem plebeculam ſimulat? In Montepeſſulano, clariſſima & antiquiſſima Medicinæ Academia, ſi quis horum nebulonum ſe medicum mentiatur, mox raptus in aſinum ſtrigoſum, & ſi inuenitur ſcabidum ſublimis tollitur, auerſus vrbe tota circumducitur, ſcommatis vndique inceſſitur, conſpuitur, pulſatur, laceratur, ſordibus omnis generis conſpurcatur, ceu olim ſacra illa Maſſilienſium victima. Poſtremo expiata vrbe eiicitur, illuc nunquam rediturus, niſi malo ſuo maximo. Quàm vellem, inquit, *legibus idem nobis licere in hoc Medicinæ ſtudio longè florentiſſimo ac cæteris Galliæ vrbibus! Non eſſet, cur nunc homineſque Deumque libellis ſupplicibus obtunderemus, non tot bonis ciuibus viduata lugeret* Gallica *reſpub. quos nulla ratione perfecta, ſed fortuitò tentata iſtorum curatio ſuſtulit, tolletque, niſi in ſceleratam eorum audaciam prope diem animaduertatur.*

An clariùs Politicos affari potuit? Quandoquidem in benè morata & benè cõſtituta ciuitate nemini licet, non ephippiario, non cerdoni, non viliſſimo cuique miniſtro artem exercere ſuam, cuius ſpecimen aliquod non ediderit, quod omnibus in arte illa primoribus ſatisfaciat: Et medicos ſe profitentibus libertas Medicinam faciendi datur, etiam indoctiſſimis?

Quid? Medicus, penes quem eſt vitæ & necis poteſtas, cui ſe ſuaque ægri committunt, ad Medicinam in vrbibus faciendam recipietur, ſimulatque barba aut mula phalerata,

aut vestium cultu, aut denique ipso nomine solo se Medicum prodiderit?

O tempora! ô mores! Huccine morum corruptorum venimus, vt ephippium, vt calceus, vt cætera opificum opuscula corpori tutando solum vtilia, pluris sint, quam corpus ipsum, atque adeo corporis ipsius sanitas, qua charius homini nihil in vita esse debet aut potest? Istis carnificibus sceleratis indulgeri si pergatur, quid Philosophiæ ac tandem Medicinæ partem omnem tanto studio, tanto sumptu, tanto valetudinis & bonarum artium dispendio peruestigamus, & in hisce miseri consenescimus? Quin istorum modo corrogatis aliquot secretioribus, &, si diis placet, formulis in Medicorum familiam curriculo incurrimus? Isti enim sunt, quibus se Medicos falso profitentibus statim ac perperam creditur. Hi sunt, in quorum mendacio periculum est maximum. Hi sunt, qui discunt Medicinam facere periculis hominum, & per ægrorum mortes experimenta agunt. Hi sunt, quibus hominem occidisse impunitas summa est. Hi sunt, quorum inscitiam capitalem nulla adhuc lex puniuit, & quorum vindictæ & animaduersionis nullum adhuc extat exemplum, vt pulchrè pariter ac verè à Plinio dictum est. Proh Deum immort. tuum numen imploro, vt sanctum hoc donum tuum Medicinam ab hisce profanis pollui, à nefariis huiusmodi totius naturæ hostibus conspurcari, à publicis pestibus venenari non patiare. Tuum iterũ atq; iterum imploro numen Deus opt. max. vt hominum sortem miseratus iniquam Guillelmum Poyetum archigrammatea serues incolumem, cui suam hanc deplorandæ professionis querimoniam, palam omnibus patefactam, Regibus, Principibus, Senatoribus, Magistratibus Prætorianis & Politicis, priuatim Guillelmo Poyeto Procancellario nuncupauit, ex cuius summa dignitate, velut editissimo veritatis, rationis & iustitiæ theatro & delphico tripode sperabat fore, *Vt quem-*

admodum ex foro legum omnium peruersionem, cuniculos, strophas, labyrinthos, sycophantias, tergiuersationes, imposturas, dolos, præuaricationes, & si quod aliud vitium per malorum improbitatem bonis legibus irrepsit, proscriberet. Quod facinus memorabile ac maximum nominis sui gloria sequeretur immortalis, & multo adhuc maior & illustrior enasceretur, si ex diuina planè scientia cunctisque mortalibus maximè salutari Medicinæ nomine mentitos aut verius nefarios carnifices expelleret exturbaretque rerum omnium egenos, cum tam multa scire Medicum rationalem sit necesse.

Sic ergo Poyeti amplitudinem vniuerso Medicorum ordini semper obseruandam implorabat supplex, vt edicto publico nemini Medicinam facere impunè liceret, qui non specimine aliquo eruditionem Medicis comprobaret, ea licet sola tractaret quę corpori admouentur. Quanto ergo minus ea quæ in corpus recipiuntur pharmaca, sępenumero mala & deleteria? Sed eo etiam instituto, vt à Rege constitutis nouis & iustis professionis Medicæ legibus & iudicibus peritissimis, malo tam graui & inueterato prouideri procuraret, neve vlterius in vitas hominum impunè peccare liceret. Sed tam iusta Syluij apud Poyetum fuerunt irrita postulata.

Cumque post Syluium Medicina grauiora adhuc plura damna pateretur per nouas sectas Paracelsistarum, Seuerinistarum, Hermetistarum, Magneticorum, Magicorum, Crollistarum, Formulistarum, Sympathicorum & innumerorum Spagyricorum, Chymistarum & Empiricorum generis omnis, & contra Quercetanos, Turquetos & id genus Medicos diuinæ scientiæ candore abutentes, Schola Parisina Ioannem Riolanum patrem, Medicum egregium & Regium, velut alterum ab Hippocrate, Aristotele,

Platone & Galeno in Philoſophia & Medicina ſidus exortum oppoſuiſſet & armauiſſet: iſque rationibus ſuis fortiter & generosè obſtitiſſet, eoſque ſtrenuè expugnauiſſet, ſpeſque adeſſet præſens, qua veritati & iuſtitiæ regiæ iuncta poteſtas & ciuilis authoritas, Medicina de tot barbaris triumpharet, virulentia contagioſa & peſtifera lues hæc ſuffocaretur, Riolanus (inquam) velut Achilles aut Hercules indomitus, ad primarium Medicum Myronium, eodem etiam momento ad ſupremum Senatum Pariſienſem ſtylum ſuum conuertit.

Tu tu (Myroni) eſto vindex noſtræ libertatis, fac vt Medicinæ reſtituatur ſuus honos, ſingulas artes ſuis finibus circumſcribe, ne quis in alterius latifundia inuadat graui mulcta prohibe. Debes hoc nobis, quia iuſtum petimus, reip. ſalutare & toti ordini neceſſarium, in quo tu principatum tenes. Tu potes, quia tui eſt iuris, & merito tuæ doctrinæ, virtutis & officij, Regis gratiam ad hoc perficiendum neceſſariam iniiſti. Quod ſi feceris, mihi crede, omnibus benefeceris, nec modò ſaluti omnium, ſed etiam Medicis, Chirurgis & Pharmacopœis conſulueris & ſatisfeceris.

Poſtquam propitia nulla ab vllo Procancellario, nec vlla ab ipſo Myronio reddita eſt reſponſio, ſic Senatui ſupremo ſupplicem ſe publicæ nomine ſalutis & incolumitatis prębuit, & literis ad ſupremum Themidis Senatum demonſtrauit, *Medicum rationalem vnicum eſſe inuictum Herculem, qui ſolus arte ſua morborum monſtra ſuperare ſciat: vnicum eſse Apollinem, Æſculapium, Hippocratem,* ἰσόθεον, *velut tutelarem & alexicacum in terris Deum, qui ſolus hoſtes humanæ naturæ morbos, vt legitimus princeps tyrannos iugulet & verè morbicida dici debeat: à quo quantum terrena à cœleſtibus, lumen à tenebris, extrema ab extremis differunt, tantum diſtet Chymiſta fumivendulus, qui ſtibio, mercurio & aliis deleteriis &.*

pestiferis morbos quosuis promiscuè sanãdos suscipit. Tantum circumforaneus circulator, Arabista, Empiricus, Impostor, qui vanis pollicitationibus plebeculam ludificat, & imposturis credulorum loculos exhaurit: Tantum ambitiosus Chirurgus, qui sola opinione empirica & temeraria curatione Medici personam refert: Tantum futilis Seplasiarius, qui nulla temperamenti, ætatis, sexus, consuetudinis, temporis, causarum internarum & externarum, nulla circumstantiarum essentialium ratione habita, remedium quod vni aut alteri profuit, indiscriminatim omnibus adscribit & adiudicat, quasi sit omnium vna & eadem natura, omnes vnico, vt fertur prouerbio, calceat calapodio. Exinde in hæc verba erumpit.

Quamdiu ergo nugivenduli sophistæ in luce mundi, in emporio bonarum artium, vobis conniuentibus, exigua pixide se tenere conclusa morborum omnium remedia, per compita impunè se iactabunt? An non Philosophi, quod fit sine arte temerarium appellant, & id solum bene fieri, quod fit consilio & ratione?

Quo vsque ergo vos ἀλόγυς, *inertes, empiricos feretis? Nunquamne bonarum artium & maximè Medicinæ hostes illos sufflones, empiricos, tot falsitatum, errorum & veneficiorum authores perniciosos extra pomœria ciuitatis & Galliæ fine amandabitis? vt is solus pro Medico habeatur, qui Philologiæ & Philosophiæ præsertim naturalis peritus causas & signa morborum agnoscat? qui corporis humani principia, elementa, humores, spiritus, partium singularum temperamenta, facultates seu proprietates, actiones & vsus non ignoret? Qui aëris, cibi, potus, exercitationum, perturbationum, somni, vigiliæ, excretionum & retentionum mediocritatem cuique suam præscribat? Qui remediorum simplicium & compositorum vires & vtendi modum in numerato habeat? qui demum ratione & experientia simul amicè iunctis medeatur? vtroque oculo isto clarè*

videat, & vtroque crure rectè incedat? Credite mihi, Patres, Andabatarum more clausis oculis cum hoste natura pugnat, qui ignarus istorum medicinam facit, nullusque vnquam medicus dici meruit, qui fuerit istorum omnium nescius.

Sed non plus valuit apud Senatum & apud Myronium Riolani supplicatio, quàm apud Poyetum Syluij postulatio.

Successit Ioannis Auberti Regii Medici Apologeticus ad D. Laurentium Henrici Magni Medic. primar. de restituenda & vindicanda Medicinæ dignitate. Qui postquam Medicinam Dei inuentum & munus esse demonstrauit, nec nisi ab eximiis viris & pro diis habitis olim fuisse excultam, quibus Laurentius sapientia & beneficentia esset simillimus; ipsiusque Medicinæ maiestatem, dignitatem, difficultatem, vtilitatem, necessitatem & spatium temporis longum in ea comparanda & exercenda subiunxit, postquam etiam quis sit præsens Medicinæ status, & quantum à pristino splendore desciuerit, quibus erroribus sit immutata, & quibus corrupta vitijs, quæ antiqua priuilegia, & olim concessa Hippocrati præmia, laudes & sacrificia, quæ Galeno & alijs encomia retulit, & quæ subauguratus est præclara de Laurentio Medicinæ sospitatore & patrono cælitus demisso, eum compellat his vocibus.

Tu matrem tuam Medicinam, quæ pædore & lurore macerata in latebris & cymmeriis recessibus latens & odiosam tamdiu lucem indignatur, erige, profer, affirma; idque quia debes, quia potes, quia vis. Quæ tria postquam sigillatim exposuit, sic tandem concludit: *Audi Medicinam tuis auribus perpetuò ingemiscentem, Eripe me his inuicte malis, per tuam nulli vnquam denegatam humanitatem, per publicam salutem in hoc artis despectu & confusionis*

confuſionis periclitantem: per magnum & probum Hippocratem; neque enim arctiora habeo vincula, quibus te obſtringam. Excute ceruicibus noſtris ſeruile iugum, non tantùm quia Archiater, ſed magis quia Laurentius: eſto aſſertor & vindex antiquæ noſtræ libertatis. Sycophantas illos circumforaneos ad Garamantas relega; miniſtros internos ſanitatis hoſtes elimina, ſua priſcis dominis reſtitue prædia & poſſeſsiones antiquas, artis minutias, quiſquilias & inania reſcinde. Sit hic cumulus tuarum laudum, Medicinam & Medicos priſtinæ dignitati reddidiſſe.

Cumque etiam in iſto negotio promouendo à nemine eſſet auditus Auberius, nec plus Reges noſtros & Gallos ad hoc neceſſarium opus & ſalutare promouiſſet, quam threnodia & lamentatio Raymundi Mindereri Imperatores Germanos, & Italos, apud quos conqueſtus eſt edito iuſto volumine, Medicinam, quæ à Deo opt. max. data fuit mortalibus tam ſalutaris, ad publicam & priuatam ſanitatem tuendam & reſtituendam, hodie ad eam deſtruendam & perdendam vitam conuerti.

Quæ olim princeps erat & regina ſcientiarum rerum naturalium, digna virorum illuſtrium & egregiorum, Regum ipſorum, Pontificum, Sacerdotum, Philoſophorum & ſapientum, inuentrix methodica cauſarum vniuerſalium & particularium, & accurata curatrix affectionum contra naturam obtingentium, lex & regula certa citò & tutò conſeruandi & medendi, ſit hodie falſitatum & errorum parens per ſolam experientiam fortuitam, fallacem, temerariam & funeſtam, ſit luce rationis & cauſarum notitia omni orbata, ſit mentis & manus induſtria priuata, mutila, impotens, paralytica, vilis, ſeruilis, ignobilis, iners, inanis, inepta, ſolis idiotis, bubulcis, mechanicis, fęci vulgi alligata & profanata.

Quæ olim erat cœleſtis & diuina, liberalis, ſalutaris, benefica, & munifica, hodie multiplici virulentia furiarum infernalium, Magorum, Magneticorum, Hermeticorum, Crolliſtarum, Homericorum, Sympathicorum, Antipathicorum, Specificorum, Aſtrologorum, Præſtigiatorum, Sagarum etiam, Apoſtatarum, Mathematicorum ſit infamata.

Quæ olim vnica erat & ſola vera, ſtabilis, firma, fidelis, certa, hodie in varias & penè innumeras ſectas erroneas, ſtultas, ridiculas & mortiferas opiniones inſipientium & impudentium Empiricorum, Spagyricorum, Chymiſtarum, aleæ fati & fortunæ temeritati, ſuperſtitionibus verborum, figurarum, characterum, periaptorum, amuletorum, incantamentorum, metaphyſicorum, numerorum, figmentorum harmonicorum, imaginariorum & formalium ſecretorum, etiamque phyſicorum, ſpecificorum, occultorum, arcanorum, antidotorum ſpecie, ſi diis placet, ἀλόγων & ἀμεθόδων ſubiecta & mancipata.

Quæ olim erat ſimplex, candida, recta, iuſta, caſta, ſolida, libera in ſalute conferenda, admirabilis & veneranda, hodie ſit fallax, mendax, loquax, adulatrix, duplex, ad φιλοχρηματίαν, ad vanitates, ad inania, ad fucum, ad faſtum, ad illecebras amatorias, ad filtra & furta meretricia, ad lenocinia venerea, ad elidendos fœtus & pręcipitandos, ad accelerandos partus, ad venalitias ęgrorum negotiationes, ad perfidiæ commercia, nihil ad rectam Medicinam, nihil ad εὐεργεσίαν antiquam, omnia ad ſordidos quæſtus, ad loculos emungendos, ad deſtruendam ſanitatem, ad perdendam vitam, ad maleficia, ad morticinia, ad denſanda funera.

Quæ demum erat olim naturæ familiaris, amica, ſalutifera, honoranda, hodie cenſeatur hoſtilis, inſi-

diosa, odiosa, formidabilis, malefica, venefica, & carnificina pro medicina, ideóque fugienda & damnanda: tota vilis, seruilis, ignobilis, iners, inanis, inualida, contumeliosa, contentiosa, maligna, noxia, pestifera, mortifera, medicis actionibus & methodicis, operationibus chirurgicis, pharmaceuticis & chymicis inepta, impotens, paralytica, fęx & opprobrium professionum, reiecta & postposita: vt sit tota mercenariis, tabernariis, officinariis, pigmentariis, veterinariis, profanis, fugitiuis, impostoribus, furciferis, æruscatoribus, proditoribus, apostatis, perditis, vulgaribus omnibus, aleatoribus, decoctoribus, nepotibus & stellionariis, naufragis, clinicis, sagis, aniculis & edentulis, prostibulis extrema relicta tabula: Qua credulos infatuant, ignaros, stolidos, incautos emungunt, euacuant, exinaniunt, ęgros cruciant, veneficant, trucidant, ęgrotis adstantes fascinant & excæcant, principes ipsos, magnates, aulicos & politicos quosvis ciuiles & ecclesiasticos dementant, doctrinę & disciplinæ medicæ familiæ œconomiam omnem labefactant, destruunt & euertunt, materiæ medicæ supellectilem omnem, rectum vsum, & exquisitissimas ægrorum dapes, pręsidia & remedia omnia inficiunt & corrumpunt. An non ergo vides, Gallia (inquit Syluius) quam iniquè ab æsopicis istis corniculis & purpuratis simiis illudaris?

Videant ergo Politici, quid ad hæc Syluij & aliorum illustrium Medicorum similia verba, ne sim longior in iis recensendis, respondeant.

Ne verò aliunde quæramus exempla aliorum; quæ vidimus nostris oculis, audiuimus nostris auribus, referemus.

In publicis comitijs generalibus de prçcauenda

& curanda peste anno 1616. ad quæ Facultas decem selectos Medicos cum Decano Chemineo miserat, vt sua consilia & præsidia cum causarum certa notitia impertirentur, viderunt & audiuerunt primarium Præsidem orsum fuisse sermonem à contumeliis iactis contra Facultatem & eius Medicos, qui aderant, præsentes: & à ferendis suis de re proposita sententiis eos exclusisse, eo quod rei de qua agebatur (aiebat) omnino essent ignari & inscij: nempe quia pestis Dei flagellum est, cuius natura soli Deo cognita in hominum notitiam non caderet, ne quidem Medicorum, qui nulla aduersus eam habent quæ proponant arcana, qualia proferre possunt solæ Moniales Nosocomij, quæ aderant, vetulę. Qualia etiam experta habere possent Sacrificuli præsentes ex hospitio, ipsique atrati cœnobitæ, qui ad expurganda ædium contagiosarum pestis seminaria pariter conuocati fuerant, ad quos eodem momento orationem conuertit & quæsiuit, an non libenter conferrent antidota sua, alexipharmaca, arcana & secreta: quorum singuli lubentissimè multa promiserunt, velut palladia aut amuleta à cælo sibi cælitus demissa, eaque exaltare, vt sola diuina retinenda, dicere non puduit, vt rationalia reiiceret. Quantum verò cæteri de re proposita in tanta varietate ingeniorum absurdissima, alienissima risu & cachinnis dignissima secuti Præsidem ducem retulerunt, facile est sapienti & prudenti cuique colligere.

Nempe quantum alii variis agitati fluctibus opinionum in illa pestilenti tempestate sine clauo vagarentur, nauigarent & in breuia & syrtes errorum diuersimodè ferrentur, & ad scopulos ignorantiæ inu-

meros allidèrent, quantum alij per ſaltus & vias inuias nulla certa ſemita diſcurrerent, velut inſani, quantum alij nulla ratione, cognitione, iudicio de natura, cauſis, differentiis, remediis in genere & particulari declararent. Dixiſſes reuixiſſe vulgi turbam inſanam, quæ exclamaret tumultuosè, Soluite nobis Empiricam fatalem, & crucifigite ſalutarem rationalem. Dixiſſes non alio fine conuocata comitia, quam vt publica ſalus totius vrbis, deſtructa rationali Medicina, immanitati peſtis exponeretur.

Ac ſanè ſuſque deque ſubuerſa & ſublapſa corruiſſent recta omnia conſilia & ſubſidia, niſi vir pietate grauis ac meritis Triumvir celeberrimus D. Seruinus +ornatiſſimus πολυμαθείᾳ ſua, & forenſi facundia politiſſimus, de Medicina rationali melius ſentiens ſilentium deſipientibus impoſuiſſet, & rationis lumen delirantium animis clarum reſtituiſſet. + aduocatus regis

Ergo-ne (inquit) exciderunt memoria noſtra, de rebus & perſonis bene iudicandi principia & fundamēta prima, à nemine vnquam controuerſa, eſſe tantùm peritorum & proborum de rebus & perſonis ſuæ artis & profeſſionis vera, recta & certa ferre iudicia? aliorum verò eſſe ſolis illis credere & habere fidem, niſi inſipientes & ridiculi haberi velint? An promittent fabri ſoli fabrilia, & Medici ſoli non promittent medica de rebus & perſonis conſilia, auxilia & iudicia? Non audientur, qui ſoli periti vera, recta, certa, & iuſta reddere poſſunt, ſed reijcientur; & audientur, qui ſoli ignari, imperiti; falſa, obliqua, dubia & iniqua tam in genere quàm in particulari, tam dignotionis & præcautionis, quàm curationis dare non poſſunt præſidia vlla, iique ſoli reiectis aliis retinebuntur, & quæ à nobis ſint agenda in hac peſtilentia præſcribent? Et cum Deus per cauſas ſecundas in

his inferioribus ſemper aut ſæpius agere ſoleat, rarius ſine iis, an non erit Medicorum in hoc morbo & cauſa propoſita inueſtigare, explorare, dignoſcere & definire nobis, an hæc morbo cæli miſeranda coorta ſit tempeſtas peſtilens, an ab aliis cauſis innumeris inferioribus, à quibus peſtis ſui ortus ſolet habere principia, ne in ea præcauenda & ſananda fallamur, & cauſam pro cauſa, morbum pro morbo, ſigna pro ſignis, & remedia pro remediis, errantes toto cœlo ſumamus & vſurpemus?

Quid? inquit, architectos accerſimus peritos, qui de ędificiis: & alios iuratos, qui de operibus & mercibus bonis & malis ſuæ cuiuſque profeſſionis iudicent; ne quidem lignum, fœnum, carbones, cerealia, candelas vænire inconſultis cenſoribus peritis & probis patimur, ſed eorum ſequimur iudicia; irrita verò faciemus de rebus, perſonis & operibus ſuæ artis Medicorum conſilia, ſententias & præſcripta, in quibus non de fœno, nucibus, pomis, meſpilis agitur, ſed de ſanitate hominum, ne quidem plebeiorum, verùm etiam Regum, Principum, ſummorum virorum omnium cuiuſuis conditionis & ordinis: quorum tanta debet eſſe cura, ſollicitudo, veritas, prouidentia, certitudo, ſecuritas, ſapientia, prudentia, & inquiſitio tam neceſſaria? An hæc inſcienter, imprudenter & inconſultè omittemus?

An in his comitiis conuenimus, vt aulicos, politicos & ciues omnes, qui in hac tempeſtate & vrbis naue periclitantur, & noſtris ſalutariter auſpiciis fœlicibus regi & gubernari deſiderant, fallamus, & noſtræ vanitatis & ignorantiæ ventis eos iniquiſſimè, iniurioſiſſimè, miſerrimè, & nos cum iis demergi procuremus?

An ſolos in eam rem deſtinatos à Deo naucleros,

nauarchas, remiges & vindices peritos ideo reijcimus, ne cum ijs saluemur, sed cum iis pereamus?

Si res medicas secundùm nostræ in iis ignorantiæ sententias metimur & iudicamus, si nostro spiritui in iis confidimus, & eius obscuritatibus, erroribus, vanitatibus inanibus, fallaciis & vagis voluntatibus & opinionibus assentimur, an non in certa discrimina & damna vitæ nostræ & perditionis ruemus, & velut infensi hostes ciuibus nostris diuinis & humanis legibus aduersi, aut prorsus insani & amentes iudicabimur?

Sapiamus ergo vt decet, & quæ sunt Medicorum à Deo destinatorum pro nostra salute propria, de huiusce pestis ingruentis natura, causis, externis & internis, differentiis, remediis præcautionis & curationis & proprietatibus definienda, præscribenda & facienda, tam in priuatis ædibus, quàm in publicis Nosocomiis diætetica, pharmaceutica & chirurgica rationalia λοιμόφυγα, fideli cura & sedulitate perficienda, à peritis Medicis qui hic adsunt audiamus.

Interim verò vt Medicorum fuerit officia sua hac in parte præstare, remedia propria, & certa præsidia ad causas & ad integram medelam præsentis morbi adhibere: sic Præsulum precibus & supplicationibus publicis & priuatis Deum placare, Politicorum verò & pręfectorum Nosocomiis fuerit Medicorum consilia & iudicia κατὰ πόδα sequi, eorum mandata seruare: quibus qui reclamauerit, malo animo errores, vitia & maleficia fouere, iis fauere, vitam mortalium nihili ęstimare & in calamitosissima mentis præcipitia velle deturbare & deiicere iudicetur. Hæc Seruinus.

Quibus satis manifestè, qui sint illi Politici, quos ipse nobiscum & cum Hippocrate damnet, qui ma-

lè de rebus, operibus & perſonis iudicent, declarauit, qui in latifundia Medicinæ inſciè, imprudenter & temerè incurrunt, qui limites interiectos tranſgrediuntur, & inemendabilem Medicinæ, Medicis & ægris faciunt iniuriam, grauioribus quàm infamiæ pœnis digniſſimam.

Videant ergo Præfecti illi ſummi viri & piiſſimi, Noſocomio publico præpoſiti, qui ſingulis ſeptimanis conueniunt, vt ægrorum pauperum curam habeant publicam, ne ipſimet, & Sacrificuli, Moniales, miniſtri chirurgi, & pharmacopolæ extra ſua officia diuagentur, & quæ medica ſunt imprudenter peragant. In quibus ſi hactenus incuria, aut ambitione vel opinione peruerſa & noxia peccatum ſit, error ille malus emendetur & caſtigetur; Et quod nuper factitatum à clariſſimo Petreo Cauſidicorum, Ædilium, Præfectorum Noſocomij ac Centurionum vrbis Decano meritiſſimo & optimo viro, qui ſemper audiendos de rebus Medicis, perſonis & operibus Noſocomij Medicos in conſiliis ſuis cenſuit; quod ferè ſemper ab aliis omittebatur, qui ſuo marte medica multa minus cautè & iuſtè perficiebant. Id verò nunquam permiſiſſe ex eius ore ante obitum accepimus, contra veterem tanti infortunij morem mortiferum. Quid enim iniuſtius & damnabilius ſaluti publicæ, & Medicinæ ignominioſius, quam eruditionem & peritiam omnem peritorum Medicorum deſpici, & magiſtros artis faſtidiri & deiici, quam aduenas extraneos aut Empiricos, aut ſeruos ſcoparios, tyrunculos tonſtrinarum, officinarum, & tabernarum pharmaceuticarum curandis ęgris pręponi & præferri, & eos, qui ſua prædicant Politicis arcana peſtifuga, aut quos delira quædam anus commendat, aut verna aliquis & ſordidula ancilla Noſocomij præfectis

præfectis indicat, extollit & celebrat, vt tyrociniorum suorum tempora & probationis ad magisteria per infinitas ægrorum pauperum mortes expleant, & ad iura magisteriorum suorum nullis impensis perueniant, quam morticiniis & veneficiis?

An dici possunt egregij illi Politici Nosocomij Administratores, qui præclaros illos tyrunculos, velut iudices idoneos rerum medicarum constituunt, qui ephemerarum febrium bubones, aut inguinalia veneris germina pro pestilentibus, aut cutanea quæque tubercula pro carbunculis in Nosocomia pestilentium ægrorum transferunt, & ægros priuatos in vrbe malignissimis & contagiosissimis febribus affectos & infectos, quibus nihil exterius in cute erumpit; in suis relinquunt domiciliis, vt viciniam, atque adeo vrbem totam contaminent?

An non id est promouendi veneni & inquinamenti pestilentis spargendi & diffundendi quoquoversum mortiferam ignorantiam & artem profiteri pestiferam?

An non id est febres semitertianas & tritæophyeas, putres, malignas, dysenterias & pleuritides populares, & alias non minus profundæ, intensæ, malignæ, pestilentis putredinis & contagiosi effluuij participes à communi sanorum contubernio & consortio arcendos & separandos probare & pestem disseminare?

An non hoc est pestilentium humorum dispositiones, apparatus & progressus per vrbem, & pestilentis morbi generationem perennem nutrimentis externis fouere, adaugere & accelerare?

An hæ sunt vrbis incolumitati artes valde salutiferæ, & subsidia præsentibus succurrendi & occurrendi periculis conuenientia?

An securè satis est aduenientibus extrinsecus contagiosis commerciis occurrere per portarum vrbis publicas, aut priuatas contaminatorum peste obuallationes & obsignationes, cum interna nascuntur & succrescunt pestis seminaria?

An vnquam per vitiosorum humorum intimis visceribus malignitatem concipientium euacuationes pestilentiam anteuertunt? quin potius nihil tunc mouendum statuunt? Et quia non aliam pestis causam agnoscunt, quam externum effluuium, atque ideo toti sunt in ædium & vestium euentilationibus? Et quia causa latet, locus est in crimine notus.

An non corporum inquinatorum expurgationes & euacuationes dissuadent, vt cum bene agere non possunt, agant pessimè, & seminariorum pestilentiæ perennitatem propagent & protrahant, materiam indesinenter suppeditent, principia non reprimant, nec progressus vllos intercipiant, sed tam prouectam veneni malignitatem expectent, vt derepentè fauces præfocet & vitæ fundamenta in corde momento extinguat?

Sic ergo Politici toti vrbi, & publicis hospitijs & singulis priuatis ægris prospiciunt, & in popularibus morbis, malignis & pestilentibus dignoscendis, præcauendis & curandis inuigilant. Qua cura & sollicitudine opinionum & errorum quid potest reuera ad publicam & priuatam salutem & vitam destruendam dici & excogitari exitiosius & damnabilius?

In eundem demum impegit lapidem Præses ille supremus, qui postquam in illis comitiis publicis absurdam suam tulit sententiam, paulò post Facultati proposuit absurdiorem.

frere Castagne cordelier Castaneus impostor Franciscanus aditu ad ægros sententia Proprætoris interdictus, cum ad supremum

mum illum Praesidem confingeret, et rescriptum
Summi de cujusdam agri modo obtinuerat, illud
statim Praeses à facultate quaesivit, an esset ve-
rum vel falsum. cui statim facultas mirè ances-
tum, et quaesivit pariter, an esset verum, vel
falsum. adeo erat nescius, id quod est in genere ve-
rum et bonum, in particulari esse posse falsum et
malum: nec id quod generale est, ab eo quod est
particulare distingueret, ut in medicinâ faciendâ sic
etiam credibile est in jure reddendo. certe saepe
evenit, ut qui sapit alteris, plane desipiat. —

tertium ejusdem pro tribunali in omnium cons-
pectu sedentis de re medicâ prodiit propositum. —

Salmanenses in foro duo medici contendebant de
primatu. quaesivit ex utroque, de quo brachio mit-
tendus esset sanguis in pleuritide, an de eo quod
responderet lateri dolenti e directo, an de opposito.
alter, quod nuper legerat esse inter Arabes medi-
cos, Galenos, et Parisinos hippocratis sectatores con-
troversum. eo momento totus forensis chorus eum
exsibilavit et explosit. et summus ille regius tum
vir, qui in comitiis publicis cum orasset, ipse idem
in hoc frequentissimo senatu coepit in hanc vocem
Plutarchi ἀμαθίαν κρύπτειν ἄμεινον. sic pudore
suffusus Praeses obticuit. — lib. an virtus doceri possit. —

Sed hoc commune est vitium ignorantium, etiam nihil
sciant aliarum professionum, etiam cum periti artis de iis disserere
se posse sibi persuadeant: qui quia nonnulla universalia habent
perspecta, se sapientes in omnibus esse sibi fingunt et artis peritos
rerum generalium et particularium suam inscitiam et imperitiam
tatori et toto coelo errare et desipere non erubescunt. —

6 Sic temporibus illis quibus baccalaurei medici in
fine sui cursus, in Studio medico scholarum emeriti
ad licentiam gradum adspirant, ut ad paranymphi de
solemnia privilege et consuetudine scholae antiqua
ordines omnes forenses et curiae senatoria supreme
Episcopos et urbis praefectos, totamque Academiam
invitant: audivimus modò unum, modò alterum in
hos et illos partes medicinae, nulla ratione, nullo judicio
erogari, Providentiam unum exornare in laudes solius
experientiae fortuitae et temerariae, in arcanorum ac
remediorum formalium praeconia, et in medicorum colle-
gialium et [illegible] Parisinorum eruditionem et
peritiam methodicam ceterum immerito spargere con-
vitia et opprobria: alium in scholae Professores et
architectonicos, alium in Suffragiis invehi et clamdest-
alium rationalem medicinam insolenter deprimere et
foede conculcare, alium valde acriter et acerbe invehi
et tumultuosi contra facultatem, quod adversus [illegible]
[illegible] à longinquis locis in hanc urbem advolantibus, et
imperitioribus medicis et aliis praesidia singularia,
quos arcana habent et specifica, communicet, sese oppo-
nat, eaque prohibeat aegris dari, sicque utilitati publicae
atque saluti potius invideat quàm opituletur.

Sed prae cunctis maximum hoc est damnum, salut-
perniciosissimum, quod politicum contagio factum sit auli-
cum, quod Aulici ad modum politicorum sese comparaverunt
et in aulam regiam medicos fictos et empiricos, praeteritis hi-
temporibus non aliter quam politici in urbes introduxerunt
[illegible] de rebus, personis, actionibus et operibus [illegible]
[illegible] sibi persuaserunt quo Politici. —

Aulicos cum dico, etiam mulierculas complector
[illegible] incredibilem infidelitatem et temeritatem [illegible]

Lasaite p. 157.

Meminiſſe poſſunt ſupremi Præſides, Senatores & Triumviri San-germanum ad Regem Lud. XIII. vocati, peracto cum iis mandati negotio, ex ore Regis accepiſſe, in aula ſua exortam eſſe ſynagogam falſam medicam, non antea viſam, & auditam, quæ plurimos ægros arcanis ſuis ad interitum præcipitaret (quod ſciret à Politicis ortum) qui leges & regulas iuſtæ adminiſtrationis politicæ violarent, quæ ſunt, ſolis in arte peritis & probis debere eſſe iudiciorum & operationum locum in republica, quod dictum & ſignificatum erat à Iuſto Rege vt maior publicæ ſalutis cura haberetur, & caueretur diligentius ne damnum latius propagaretur in vrbe vt facilius in aula contagium ſuffocaretur.

Quod confirmatum fuit in permultis inferioribus & nobilioribus aulicis ægrotis, eo verò tempore in vno ſuorum venatorum dicto patenoſtre, qui cum in putridam & valde malignam febrem incidiſſet, eumque primario ſuo Medico Rex commendauiſſet, clanculum empirica ſecta ipſi ſuppeditabat venenata remedia, cumque nobilis vnus ſectæ fautor primarius cubicularius coram Rege de ſua temeritate inſoleſceret, qui præſens erat P. M. liberè coram Rege nobilem accuſare non dubitauit, eum forè pariter mortis ægri reum ac ſi ſicam in pectus eius infixiſſet; poſtulauit nobilis illatæ ſibi iniuriæ vindictam, ſed ſatis aſpere Rex iuſtus in eum retulit iniuriam & vindictam. Cur tu arte non intellecta in

* cette page et la suivante ont été remplacées par les deux suivantes qui se trouvent dans l'exemplaire de M. Che—

hominem perniciem & necem abuteris? an non tu medicinæ ſcientiæ & peritiæ ignarus? cur ergo verè reus mortis dici indigneris, quod mihi ipſi in tali re obiici æquum eſſe iudicarem?

Sed ne longior ſim in commemorandis conſiliis prauis & damnis innumeris perniciofis quæ ipſemet Rex ab Arabiſtis, Semidogmaticis & empiricis Medicis, quæque ab aulicis viris & mulierculis in victus lege & in vſu remediorum tulit; Et quæ primarius eius Med. rationalis, in tuenda Regis ſanitate & curandis eius aſſiduis ac prçcauendis morbis, per ſexdecim annos continuos, atque redintegrandis ad prolem maſculam viribus. Quæque in aulicis principibus & torquatis, vt principi Sueſſonio, primario equite Sanſimonio, comitibus Guicheo Mortemartio, eius vxore, aliiſque mulierculis Reginæ addictis, egregiis puellis, ſed maxime omnium formoſiſſimæ de Hautefort à morte vindicanda, & innumeris aliis, ſanandis diſcrimina & comitia varia ſuſtinere & deuorare, ab aulicis empiricorum fautoribus coactus eſt, non fuſius referam, quia hæc in alia tempora & otia opportuniora, vnico ſolo veritatis artis vindice Rege, differenda ſunt.

Aulicos verè cum dico eos eaſve complector qui in eandem infidelitatem, audaciam & temeritatem inſidioſam & damnandam conſpirauerunt & conuenerunt, & bis in idem peccauerunt vt Empiricorum

primarium

diosam conuenerunt, vt Valterium nomine solo, non re Medicum, Antesignanum Empiricorum in aulam Reginæ matris Mariæ Mediceæ primùm exaltauerint: cuius causam mortis non solum suis consiliis prauis attulit, sed etiam per dissidia matris cum Rege filio contexta & perpetuo connutrita & implacabilia, & bella interna & externa, quibus ipsi etiam Regi filio Lud. XIII. moriendi necessitatem tandem accelerauit: pro quibus criminibus suis duodecim annorum in carcere pœnas, impares quidem promeruit; quibus postquam solutus est vinculis, iisdem mulierçularum malis artibus & machinis in thronum Archiatrorum comitiuæ elatus est, ipsius prȩfecturæ Regiæ Medicæ tam dignus, quam Thersites Grȩcorum exercitus polemarchiæ. Ad cuius inauditam promotionem & inaugurationem, Majestatibus Regiis tam periculosam & tam fatalem nemo non inhorruit & formidauit, ne in eos, improbus & exitiosus, ab omnibus improbatus, ad Regis Ludouici XIV. & D. fratris destructionem & proditionem potius, quam ad vtriusque conseruationem in primarium Medicum suffectus, promotus, & præpositus esset. Nulla enim in vtraque illius, ad Reginam matrem priore, & ad Regem nepotem posteriore promotione perquisitionis cura & sollicitudo fuit, quæ documenta medica didicerit, quorum professorum voces & oracula audiuerit, quæ studia medica elucubrauerit, quæ Hippocratis, Galeni & aliorum principum Medicinæ Græcorum, Latinorum, Arabum vetustiorum monumenta legerit & adnotauerit, quibus nutritus, educatus & instructus rationalis Medicinæ præceptis, quibus esset exercitiis informatus, expertus & peritus, quibus magistris & ducibus esset vsus, quæ tyrociniorum suorum testimonia dedisset

publica & priuata, quibus in ſcholarum caſtris mili-tauiſſet, quo ad Medicinam capeſſendam aliarum diſciplinarum apparatu, prouentu & ornatu præmu-nitus eſſet. Quas in ſcholis interrogationes, reſpon-ſiones, & probationes publicas cum dignitate & eru-ditione ſuſtinuiſſet: Quam demum apud ægros lon-gam ante, rectam, veram & certam mentis & ma-nuum exercitationem medicam methodi bene di-gnoſcendi, prædicendi, medendi & iudicandi per cauſas & per effectus teſtatus eſſet.

Sed ne longius in eius ἀνιατρίᾳ & ἀτεχνίᾳ ſtudiorum, & in technis malignitatis eius & dolis concinnandis, in maleficiis attexendis & in criminibus fabricandis immorer, quæ longo ſermone indigent, in aliud com-modius tempus transferimus, vt ad Politicos redea-mus.

An ignorare poſſunt eam eſſe vnicam Medicinam, quam Deus in ſacris paginis commendauit? An aliam communicauerit Deus opt. max. quam rationalem, eiuſdem originis diuinæ cum ratione ipſa conſortem? Ideoque eandem eſſe, quam poſt Adamum, & Noë-mum ſapientes & ſummi viri Patriarchæ, Prophetæ, Pontifices, Reges, Philoſophi, & familia præ aliis Heraclidarum poſt Apollinem & Æſculapium, Po-dalyrius, Machaon & poſteriores omnes filij vſque ad Hippocratem penes ſe priuatam, propriam & do-meſticam retinuerunt.

Eandem eſſe, quam Hippocrates impulſus diui-no numine ad communem humani generis ſani-tatem & vitam tuendam exarauit & publici iuris fecit, & quam Galenus clarius & plenius explana-uit.

Eandem eſſe, quam Græci primùm, poſtmodum Reges, & Imperatores longinqui ac reliqui mortales

tanto ſtudio & amore expetiuerunt, & receperunt, tanto in honore & pretio habuerunt, & tantis beneficiis, muneribus, priuilegiis & ſtipendiis collegia, ſcholas ſeu Facultates dotatas erexerunt, & fundarunt, vt eam paſſim in palatiis, in vrbibus, in caſtris militaribus, in hoſpitiis docerent & exercerent, vtque neophytos crearent profeſſores, & doctores Archiatros, doctrinæ & diſciplinæ Hippocrati conſimiles, eruditionis eius & peritiæ congeneres, qui ſecundum rectas eius leges, præcepta & ſtatuta ſalutaria artem architectonicam ſuis partibus, artibus, & artificibus innumeris ſubiectis inferioribus imperantem & præpoſitam, cum veritate & æquitate ad publicam vtilitatem per Regiam authoritatem ſeruarent inuiolatam.

An ignorare poſſunt, ſe rerum omnium, perſonarum, actionum & operum medicæ profeſſionis eſſe prorſus ignaros, indeque ab omni memoria iniuſtiſſimè & audaciſſimè ipſius ſe iudicia occupauiſſe? in hæc ſibi impropria prędia & aliena latifundia irruiſſe, & quæ Medicorum peritorum, & proborum tantum propria erant dominia inuaſiſſe?

An ignorant, ſuas eſſe cuique profeſſioni cauſas proprias, materiales, formales, finales & efficientes: Sic eſſe Medicinæ ſuam ſubiectam materiam corpus humanum, partes eius, & quæcumque propter hominem ſunt à Deo creata? Formalem & finalem eſſe ſanitatem bene vel malè affectam tuendam aut reſtituendam? Efficientem eſſe Medicos rationales in generali & particulari, doctrina & diſciplina ſolos veros & idoneos; atque adeo in actionibus & operationibus benè dignoſcendi, prædicendi, medendi & iudicandi ſolos iudices competentes, alios quoſvis eſſe nouos, hoſpites, peregrinos, ignaros,

imperitos, ad eam non minus iudicandam, quam exercendam ineptos, & vt ridiculos & inſanos eſſe explodendos & exſibilandos?

An etiam ignorant, ſuas eſſe cuique profeſſioni leges, regulas & ſtatuta vera, certa, recta & iuſta, quæ ſoli periti & probi artifices pro variis cauſis & circunſtantiis in particulari flectunt & immutant?

An hoc audeant aſſerere non ſimiliter eſſe in medica profeſſione ſeruanda?

An neſciunt ſua cuique à Domino eſſe aſſignata dona & officia in ſuæ ciuitatis internæ regimine, cuique ordini ſua, & ſuos pariter conſtitutos præfectos proprios: eodem etiam modo voluiſſe varia eſſe munia & officia, varios rectores & opifices, quibuſvis muneribus & operibus obeundis in externa deſtinatos? Atque vt noluit omnes eſſe Apoſtolos, omnes eſſe Prophetas, omnes eſſe linguarum Interpretes in interno foro: ſic nec in externo omnes eſſe Reges, omnes eſſe Politicos, & omnes eſſe Medicos?

An non vident in omnibus ordinibus, vt à ſummis ad infimos progrediar, Deum opt. max. leges iuſtas, & iudices iuſtos ſingulis conſtituiſſe? Sic Regnis adminiſtrandis Reges præpoſuiſſe, qui iuſtis legibus in pace, & iuſtis armis in bello regnare ſciant, populos optime ab iniuriis internis, & ab externis damnis vindicare & liberare? Aliis inferioribus & ſubiectis datas eſſe leges pariter iuſtas, & iudices pariter iuſtos, peritos artis, qui ſui cuiuſque ordinis ſubiectos ſine vlla læſione & offenſione conſeruent, & ne ab officiis ſuis vllo pacto declinent, deficiant & officiant ſtudioſè prouideant?

chancelier garde des sceaux

Sic νομοθέτας, Cancellarios & Curiæ ſupremæ Senatores eſſe, qui leges iuſtas condant & trutinent,

iniuſtas

iniustas abrogent, inutiles rescindant, defectuosas reforment, imperfectas perficiant, vtiles & necessarias retineant, quæ desunt adiungant & sufficiant, & proportione iusta distribuant.

Sic materiæ cuique elaborandæ & perficiendæ suos esse peritos artifices & iudices à Deo & à Regibus constitutos, qui de rebus & personis eius iudicent:

Sic rebus & personis forensibus suas esse, quæ definitiuè determinent particulares ἰδιωτείας: Suas supremas, quæ publica Regni & Regum tractent negotia, nec non priuato cuique sua propria iura ciuilia diligenter examinent, definiant & retribuant: Suas, quæ capitalibus criminibus pœnas irrogent: Suas quæ collectis, tributis, vectigalibus, subsidiis & indictionibus præsint: Suas, quæ Regum accepti & impensi, & largitionum rationes ordinarias & extraord. probent aut improbent: Suas, quæ in materia beneficiorum & iurisdictionum dissensiones, dissidia & contentiones componant & dirimant: Suas, quæ monetas, pretia, pondera, misturas, signaturas & fabricas assignent, & lites ex iis ortas dissoluant: Suas, quę fluminum liberos decursus, ne nimium contracti exundent, prouideant: Suas, quæ nemora & syluas, ne abscissionibus deficiant, neve feræ condensis velut integumentis propriis defraudentur, prospiciant.

Suos esse Comites Stabuli, qui militaribus Imperiis & bellicis exercitibus pręficiantur, & cum Polemarchis ciuilia & capitalia iura in castris exerceant.

Esse Admiralem, qui maritimæ nauigationis & militiæ gerendæ, & pyraticæ deturbandæ & exterminandæ curam habeat.

Sic nullam esse materiam, nullum negotium, nul-

lum officium, nullum beneficium priuatum, nullum opus, cui non ſint priuatæ leges & iudices ſubordinati, qui rerum malè geſtarum iniurias & damna publica & priuata vindicent, & ab ignorantiæ & nequitiæ oppreſſionibus liberent.

Sic magnus eſt Magiſter tormentorum bellicorum, magnus Eques regij equitatus, magnus Magiſter Curſorum curioſus, qui omnes ſunt earum rerum & perſonarum, quibus præſunt, iudices & arbitri ſoli.

Sic Præpoſitus mercatorum vrbis Lutetiæ dictus, cum Duumviris annonæ ſtudet, & aduehendis per Sequanam fluuium mercibus omnis generis neceſſariis præficitur iudex.

Sic Proprætori vrbano cum aliis ἀγορανόμοις, velut Ædilibus regionatim diſpoſitis per vrbem, pretia, pondera, menſuræ, ſubſtantiæ rerum venalium, & contentiones ex iis ortæ velut expertis ſolis quæſitoribus ſubiiciuntur.

Sic Mercatores Conſules vocati, diſſidia & litigia, quæ ex emptionibus & venditionibus mercium enaſcuntur, bona fide æſtimant, & in rem præſentem nullis impenſis dirimunt.

Sic non deſunt ſui æſtimatores & iudices iurati, qui leges imponant cerealibus, tritico, ligno, carbonibus, candelæ, fœno, nucibus, caſtaneis, alimentis, medicamentis, & quibuſvis rebus vitæ neceſſariis, ne non modo hominibus, ſed ne quidem brutis in bonitate, pretio & menſura fraus fiat.

Cur ergo Medicæ profeſſionis non fuerint pariter priuati ſui adnotatores & exactores iudices, artis periti & experti iurati, qui in vrbibus de iis quæ ad ſanos & ægros ſeruandos & ſanandos pertinent, rebus, perſonis, remediis, operibus & actionibus, cum

veritate, æquitate, cauſarum notitia & ſcientia iudicent, ne illis vlla fraus & injuria fiat?

Si verò nullius materialis, formalis, efficientis & finalis cauſæ aliarum profeſſionum, ne quidem minimarum, curam, ſtudium & iudicium ſuſcipere & aggredi Politicis permiſſum eſt, quia illæ ſuos habent artifices proprios & iudices, à quibus regantur & iudicentur: cur potiùs Politicis liceat rebus & perſonis medicis iudicandis, quarum ſunt ignariores quàm aliarum, quia ſunt reconditiores; ſeſe immiſcere & de earum doctrina & diſciplina ſibi omnino ignota iudicare?

Si verum id ſibi exprobrari de doctrina fateantur, de diſciplina verò negent; quidni ergo etiam de aliarum profeſſionum diſciplina iudicare iis non liceat, & de diſciplina ſola medica id ſibi tribuere & arrogare audeant, quæ tota eſt immerſa & immiſta doctrinæ, à cuius notitia tota pendet, proficiſcitur & deſumitur?

Si ergo doctrina eſt iis abſcondita, poteritne diſciplina iis eſſe perſpecta & cognita?

Si tot artes ſunt inferiores, totidemque artifices architectonicæ Medicinæ & Medicis architectonicis ſubiecti, qui ex formula præſcripta iuſtè operari debent: ſi recedant à regula, qui regulam ignorant, quomodo de exceſſuum aut defectuum diſcriminibus & differentiis, maximè in iis quæ ſunt magni momenti, iudicabunt?

An Politici iuſtè determinabunt, qui res naturales, non naturales & contra naturam innumeras, ſanitatum & morborum naturas, cauſas & differentias, earumque præſidia, alimenta, remedia & quæcumque ſunt diętetica, chirurgica & pharmaceutica, quæ ignorant? An audebunt aſſerere vlla ratione, ſe arte & iudicio ex iis, velut ex factis iuſta &

æqua iura & iudicia elicere posse, vt sint salutaria? Qui τὸ ὅτι dumtaxat vt bruta agnoscunt, τὸ δ' ὅτι neutiquam, quomodo ergo vt periti de rebus & personis medicis, & de disciplina iustè iudicabunt;& sanos rectè conseruari, ægros rectè curari, per hæc aut illa, benè aut malè administrata, præscripta, præparata & cum circumstantiis essentialibus vsurpata in particulari, nequidem in genere ignari horum definire poterunt?

Hæc ipsa est eorum ignorantia, qua ab initio cum discriminare falsos à veris Medicos, & falsas ac noxias leges à veris & salutaribus non potuerunt, tam iniquas non paucas primum, & innumeras postea deteriores approbauerunt, & Medicos spoliari per inertiam suis dominiis, & ministros seruos viles & ignobiles ea inuadere permiserunt, magisteria deprimi, & ministeria attolli, ad damna perpetua sanitatis, & ad infinita ægrorum morticinia æquum iudicauerunt.

Quorum si Politici fuerunt authores & fautores præteritorum huiusmodi malorum, an erunt hodie apti & idonei arbitri reformandorum? & qui hæc iniusta fecerunt, hodie irrita habere & abrogare poterunt, vt meliora noua reparent, qui hodie sunt peræquè, vt antea, medicarum rerum ac personarum ignari? An non in professione hac ignorantissimi & ineptissimi semper in docendo, demonstrando, operando & medendo, in promouendo, interrogando & iudicando iniustissimè omnia decernent, nec in ea scient vnquam, quæ iusta, quæ vera, quæ certa, quæ recta, quæque salutaria? Sed sæpius falsa veris, iniqua iustis, incerta certis, obliqua rectis, externa internis, aliena domesticis, noxia salutaribus, mala bonis, malefica beneficis, ante-

ponent, adeo sunt in hac professione animales, vt non percipiant ea quæ sunt spiritus, sed lateat eos prorsus artis virtus, præstantia & dignitas, & in eâ opinione sua, nulla ratione medicâ illustratâ, semper mentientur, fallentur & fallent, forsan etiam plus quàm animantes, quæ fallere nesciæ sunt; quæ faciliùs & certius discriminant quæ sibi noxia, quæq; vtilia, ne quidem in specie, dum homines ab equis, sed etiam in particulari, cum pastores & duces suos ab alienis internoscunt, obediunt & sequuntur.

Et cum non sint in aliis rebus tam inscij & peregrini Politici, vt nesciant, nullos artifices, ne viliorum quidem operum, materiæ cuiusdam pręparandæ, fabricandæ, aut vendendæ admitti, nisi tempora tyrociniorum, peritiæ & probationum ad obtinenda magisteria sua adimpleuerint: nullos aduenas naturalium Gallorum gaudere priuilegiis, nullos albo ciuium ascribi ad officia publica gerenda, nullos iure municipali & legibus vti, & dignos iudicari, nisi indigenas: nullos alienigenas & aduenas admitti & accenseri: neminem ad officia vlla priuata, Regia, ciuilia & domestica, ne quidem infima seruitia aurigarum, culinariorum, panificij & alia id genus vocari, nisi prius suæ originis, institutionis, industriæ, peritiæ, exercitationis, fidelitatis & probitatis fidem dederit. Ab Hetruria videant aduocari ludiones facetos, iocosos, vrbanos & alacres, qui ludicris, gesticulationibus, saltibus populos gratiosè recreent: histriones, qui Regum & Principum personas aut mimorum concinnè & exactè referant, qui mores populi varios laudabiles aut vituperabiles scitè & artificiosè repręsentent, qui voces & sermones decentius & elegantius proferant, qui actiones, gestus & numeros conuenientius adaptent, audientium aures

ſuauius deliniant & demulceant, animos iucundius exhilarent, & ſpectantium oculos gratius oblectent.

Nullos ſibi ſolere domeſticos conducere, ne quidem aurigas, ſtabularios, pediſequos & ſeruos, licet ad vilia officia, corporis robore potius, quam viribus animi peragenda deſtinatos, niſi peritos, expertos, fideles & probos, ſponſoribus etiam datis, admittere.

Cur ergo Politici, ſub quorum fidelitatis excubiis omnes ciues non modo vulgares & plebeij, ſed etiam Reges, Principes & Magnates omnes cuiuſuis ordinis confidenter in vtramque aurem dormiunt, nullo diſcrimine falſis medicis & imperitis, qui totidem ſunt impoſtores, venefici potius & ſicarij, quàm Medici, promiſcuè & inſidiosè vrbium portas pandunt, vt probis, vt probatis; vt credulos, incautos, ignaros, innocentes ęgros & ſanos decipiant & interficiant?

An vt minor apud eos ſit cura & ſollicitudo ſalutis & vitæ hominum, etiam Regum, Principum & Summorum virorum, qua per tyrocinia, probationes & magiſteria nulla quęrant ſpecimina & documenta certa eruditionis, peritiæ & fidelitatis, quàm aurigarum, ſeruitiorum, aut culinariorum, quorum tanta eſt diligentia in conſideranda & inquirenda certa & fideli eruditione, peritia & induſtria ſtrigilandorum equorum, canum & alitum ad venationem formandorum, dapum apparandarum: nulla vero ſit tam neceſſaria Regum incolumitate & integritate ſeruandorum aut ſanandorum ęgrorum: Sed maior eſſe debeat ratio deligendorum hiſtrionum & mimorum, qui geſtibus & ludicris hilarius animos hominum & Regum recreent, quam Medicorum peritorum ſeligendorum, qui arte, ratione,

iudicio & ſine errore eorum ſanitatem procurent, ſeruent & reſtituant; quin etiam qui iuſtè, verè & rectè de rebus, perſonis & operibus medicis iudicare ſciant?

Equidem non crediderim tam peregrinos & nouos Politicos, vt exiſtiment rationales Medicos naſci vt Poëtas, inſpirari vt Apoſtolos, generari vt naturalia quæque: Medicinam rationalem ſorte vt aleatoriam proiectis talis, vt piſcatoriam retibus iactis, aut vt empiricam ignoranter occultis, arcanis aut fictis formalibus & ſpecificis ſolis exerceri credant; non eſſe certa, vera, recta & iuſta, quæ proportionata ſint cuique pro cauſarum & remediorum notitia & ſcientia, tam generalium quam particularium rerum & perſonarum medicarum, quę congeneres & ſalutares effectus conſequantur & teſtentur: neque etiam neſciant, quod quotidie ſuis oculis conſpiciunt, quanto ſtudio, quanta opera & quanta aſſiduitate & exercitio Medici rationales elaborentur & perficiantur, quantum per exantlatos labores multos, per diurnas nocturnaſque vigilias, per longa & continua documentorum ſtudia & certamina, per grauia & moleſta tyrociniorum exercitia, per multas magiſteriorum probationes, perque multa comparatæ induſtriæ & peritię conſummatæ vera & fidelia teſtimonia formentur, priuſquam fidem apud omnes comparauerint, qua erroris & fallaciæ metus & ſuſpicio tollatur, & primaria dignitate Archiatrię regię digni habeantur.

Cum ergo omnia iſta ſint Politicis comperta, cur ſe humano generi tam infenſos, aut tam inſanos & inſenſatos oſtendunt, vt tamdiu velint & audeant exiſtimari veros eſſe ſe rerum, perſonarum, actionum & operum Medicorum iudices, qui interi-

tum omnibus, non modò plebeiis & infimæ sortis hominibus, sed etiam reliquis populis nobilioribus, summis viris atque etiam Maiestatibus ipsis, per eam quam permittunt Medicis falsis, empiricis & nefariis innumeris, specie medicinæ, impostoribus licentiam iniustissimam, qua sinunt eos vsque ad interiora permeare domicilia & cubilia etiam regia?

Si credunt eos posse illic Medica tractare mysteria & particularia quibusvis definire posse propria, quibus seruentur & sanentur: cur non etiam quosvis nebulones, idiotas, vel etiam Spartacos & Pyratas admittunt, vt eos in thronos Regios, aut Senatorios eleuent? Cur in Pontificias & Præsulum sedes purpuratas, in subsellia & tribunalia excelsa viles animas non erigunt, vt eloquia explicent & exponant diuina, vt Ecclesiam regant, vt regnent, vt iura reddant publica & priuata, legum soluant ἀντινομίας? Cur ad Philosophorum cathedras rusticos non attollunt, vt sapientiam doceant vtramque, diuinam & humanam?

Si in professione Medica hæc generalia & particularia scire se asserere velint, patientur vt eos pariter vocitem insanos, quales eos iudicarent, qui coram se de Politicis rebus, quarum essent ignari & inexperti, disserere, & determinare vellent, ad quas non essent nec nati, nec comparati, cum ne quidem boues optent ephippia; patientur, vt etiam eos dicam animantibus esse inferiores, quæ respuunt ea, ad quæ à natura non sunt informatæ. Sic etiam Politici, dum arcent & reijciunt sapientes Medicos à iudiciis suæ professionis administrandæ, & velut insanos, ridiculos & animales iure censeam, cum in hac arte & parte se

tales

tales exhibeant Politici,& suo marte aduerso in Medicorum officia sese ingerant, ministrorum animas informes in magistrorum officia medica, nobilia, methodica & rationalia attollant, magistrorum dignitatem in vilia ministeria deturbent & deijciant, & Empiricos quotidie & personatos Medicos in legitimorum munera admittant, an non omnia destruunt corporis & fortunæ,& ipsarum etiam animarum bona, quas incautas sæpius ad tartara præcipitant?

Quales ergo vos vultis vt eos nominem in hac parte iudiciorum, nisi insanos, animales & ridiculos, maximè cum videant ~~n~~giuendulos illos seu falsos Medicos per Semidogmaticos & Empiricos, seu ministros non solum ignorantia & erroribus suis, sed etiam artibus malis, fallaciis arcanorum & vanitatibus, occultis remediis, sine arte & ratione & causarum notitia vlla, semper noxiis aut lethalibus, ad fucum, ad fastum, ad quæstum, ad inescandos miseros ægros pertæsos thalami, astantes credulos, longitudine laboris grauatos, manifestè decipi & quotidie incautos eripi? Fieri ne potest vt cum videant quanta sit differentia inter indigenas Medicos & extraneos, inter legitimos & spurios, nihil domesticis deesse omni ex parte ad benè medendum, aduenis nihil deesse ad perdendum?

Quanta docendi assiduitate, examinandi seueritate & formandi in scholis perseuerantia & palam probandi publica diligentia & sedulitate, quanta demum apud ægros demonstrandi facilitate & fidelitate Facultas Parisina assiduè se gerat, antequam suos ad perfectionem perducat & à se dimittat. Nullos vero alios quicquam disciplinarum præparantium ad capessendam medicinam, quicquam præceptorum generalium & particularium, quicquam naturarum,

corporum, partium, causarum, signorum naturalium, non naturalium & contra naturam, affectionum sanarum & morbosarum, quicquam mediorum & remediorum diæteticorum, pharmaceuticorum, chirurgicorum, necessariorum ad rectum vsum conseruandi & medendi adeptos esse: nec alia præ se ferre quam specifica, arcána, occulta, formalia, falsa, sæpius deleteria, exitialia, fatalia, pro omni panacea & ad omnes morbos medela.

An non ergo quicumque maleficia hæc & crimina non iudicant, non modo sunt animales, insani & ridiculi, nec vlla excusatione digni, sed pœna potius seuerissima castigandi, qui tot profanos, ignaros & exitiosos toties nominatos, nullis testimoniis vrbis, studiorum, tyrociniorum, probationum, magisteriorum & exercitiorum in artis operibus, pro meritis amplectuntur, laudant & commendant? Qui non animaduertunt vndequaque in hanc amplissimam vrbem, quia populosissima est & opulentissima, huiusmodi ciniflones triobalares tam multos circumfluere, vt ægros velut pecora non modo tondeant & eorum vellera deradant, sed etiam deglubant & ampla reportent spolia, & ingentia pretia pro adempta officiosè, vt aiunt, & gratiosè vita?

Qui non vident tot ἀνθρωποκτόνους immanes, & callidos πλυσοςάγμονας contra rationem omnem in vrbium, aulæ regiæ meditullia, in castra & hospitia quæque & palatia liberè & licenter ingredi & introduci, vt ornatum omnem, merita, splendorem & gloriam rationalis artis benè discendæ, docendæ & faciendæ subuertant & aboleant, vt mysteria artis sacra, Medicis veris & Mystis sacris solis digna, ipsaque magisteria Hippocratis & Galeni splendida, gloriosa, & pretiosa, nec non officia, opera & exercitia

methodica propria quotidie per mentes ſtolidas & manus miniſtrorum vilium & mechanicorum illotas & ſordidas polluant, proſtituant & profanent. Qui demum omnem recte tuendæ ſanitatis & morborum dignoſcendorum & curandorum rationem veram, certam & ſecuram obſcurant.

Quid verò dicerent, ſi ſua ſic edicta, codices, digeſta, conſtitutiones Regias, reſponſa prudentum, conſuetudines, leges, iura, ſtatuta atque decreta inſpicerent ab ignaris, à rabulis forenſibus, à proclamatoribus, ab amanuenſibus, ab apparitoribus & lictoribus ſuis attrectari, & iura tam propria ſibi, quam ſua ſunt viſcera, eos ſibi tribuere, & litigantium pro ſe lites dirimere? An non eos vt inſanos, vt ridiculos, vt ſtultos durè admodum & ſeuerè corriperent & punirent? An aliter ſe ab initio, quo primùm rationalis Medicina ab Hippocrate deſcripta eſt, Politici ſe geſſerunt? An de medicis rebus, perſonis, actionibus & operibus ſecus quam temerè & ignoranter iudicare deſierunt? An non ſtatuta praua, quæ fuerunt principia & fundamenta euerſæ diſciplinæ probauerunt, & innumera poſtea peræquè iniuſta & iniurioſa adiunxerunt, per quæ ſtrages & morticinia infinita in genus hominum introduxerunt, quorum ſe cauſas eſſe primas & præcipuas, aut craſsè nimis ſe ſcire inficiantur, aut potius malitiosè nimis neſcire ſe diſſimulant, nec tot maleficiorum vnquam pœnituit authores eſſe?

Sed hoc, quod magis eſt deplorandum & dolendum, nemini adhuc veniſſe in mentem, ne quidem ſupremis poteſtatibus, ab ignorantiæ & temeritatis empiricis, tantis maleficiis, erroribus & criminibus voluiſſe in hoc regno ægros indicta pœna liberari, ſed omnes penè malle arcanis, ſeu ſpecificis & oc-

cultis periclitari & eripi, quàm viuere remediis manifestis, rationalibus & salutiferis?

Quousque ergo Deus opt. max. per hanc ignorantiam & licentiam tam exitiosam patiere, tot mortales, specie veræ rationalis Medicinæ, velut pisces hamo latente decipi & perire? Quousque oculos mentis Regibus, Præsulibus, Principibus, Politicis & summis Themidis sacræ antistitibus occludi permiseris, ne sub promissis fatalibus tot impostorum mortiferis latentem esse internecionem percipiant?

Tam delusam scimus fuisse antiquitatem gentium, vt Deum verum diutissimè ignotum habuerit, & ad nutum ex quauis materia diuina sibi simulachra fabricauerit: Senatores olim ipsos Romanos tam insipientes fuisse, qui se sapientissimos prædicabant, vt quos sibi voluerint aliarum gentium deuictarum deos suis adjunxerint, quos noluerint, reiecerint; quorum etiam voluerint, Imperatorum suorum per apotheoses in numerum deorum nomina ascribi & immortalitate donari statuerint, & mandauerint, eosque etiam cæpas pro diis habuisse, vt Ægyptios, *ô pulchras gentes, quibus hæc nascuntur in hortis numina!* alios effinxisse deos, qui fallendi artem docerent, *pulchra Lauerna da mihi fallere, da sanctum iustumque videri*, latrones, scortatores & quosvis sceleratos pro diis coluisse, iisque templa extruxisse.

Hæc dicta sint in Politicorum gratiam & satisfactionem nonnullam, qui toti gestiunt homines quotquot sunt, esse sibi pares. Ecquis enim nunc est, qui falsis Medicis non credat, sicut olim gentes omnes falsis numinibus? Quis hodie suas aures ad verba subdolè incantantium impostorum per arcana & occulta sua obturet? Quis potens ea non libenter auscultet, iisque fidem adhibeat?

Ægyptus olim tota geſtatas aſino Iſidis deæ reliquias flexis genibus adorabat: Aſinus verò ſibi tanquam numini hanc fieri adorationem ratus, exultabat & vncans exaltabat ſe erectis auribus. Sed à tergo qui aſinum ducebat agaſo, eum tandem baculo, aut aculeo acriter pungebat, & fuſte duriter ſtimulans clamabat. *Non es tu deus, aſelle, ſed deam vehis.*

Cur ergo non fuerit aliquis hodie, qui tot falſos credulos, & tot fallentes nefarios flagello vt aſinos, ac clamet, ne falſa hæc Medicinæ ſimulachra vt numina adorent, cur non ſcommatis, ſputis & ſordibus conſpurcent eos, vt olim Monſpelij, & ab vrbibus atque ab aula eiiciant?

Cauſam quæris, cur nunquam id factum ſit, nec fieri poſſit? Quia quotquot ſunt hodie, malè de rebus & perſonis medicis temerè iudicantes, omnes penè exularent & vapularent, deſertæ eſſent vrbes, ac ne quidem tortores & flagellatores ſupereſſent. Ecquis enim de re Medica rationali quam non agnoſcit, benè ſentiat & iudicet, & eius amore & cupiditate teneatur? Quis non eodem habeat numero quod falſum, quam quod verum, antequam vtrumque internoſcat ſalutiferum à mortifero? Quis non perinde vocet noxia, ſalutaria; occulta atque manifeſta? Quis nouit arcanum verum Medicinæ rationale per notitiam cauſarum particularium cuique definitum, proprium & ſalutare, præter ſolum rationalem Medicum, qui ſolus geometrica cuique proportione ſingula diſtribuere didicit?

Quando ergo proclamabit nobis vates aliquis, *Procul, ò procul eſte profani*, quando Diaconus ante myſteriorum medicorum conſecrationem, *Procul hinc eſte canes impudici & malefici: panes filiorum non ſunt canibus mittendi: ſacra ſacris, munda mundis: interna domeſticis*

& inquilinis propria sint solis, non extraneis.

Sed ne quis nos non immerito carpat, quod generalius diximus, omnes genua ante falsa illa simulachra hodie flectere: sciat nos tantùm idiotas, plebeios, rudiores & viliores animos, qui rationalis Medicinæ virtutes per causarum notitiam non agnoscunt, damnare: qui hærent semper dubij, an potius credere, parêre & obsequi debeant rationali, quam irrationali empiricæ, veræ quam falsæ. Deus non venit ad iustos sed ad peccatores sic non insectamur sapientes sed ignaros & stultos sani non egent medicis sed infirmi. Scimus enim non paucos esse tam benè conformatos, tã sanæ mentis compotes, tam bonis disciplinis instructos, tam optimis virtutibus ornatos, ratione, iudicio & intelligentia tam præditos, vt de rebus, personis, operibus & actionibus Medicinæ rationalis non dubitent. Quos propterea notare nullo modo in mentem nostram venire potuit, cum potiùs asseramus tanto confidentiùs, eos Medicinæ rationali credere, quanto sunt virtutibus, eruditione, sapientia, ratione & iudicio cæteris aliis præstantiores, eosque qui fuerint alicuius professionis & conditionis vitæ nobilioris, & sublimioris, semper melius & æquius de medicina hac vnica, vera, certa iudicaturos se, quàm qui fuerint ignobiliores, & qui plures fuerint, quam qui singulares. Quod demonstramus ratione & exemplis sequentibus: *Suscipiunt montes pacem populo, & colles iustitiam,* inquit Vates Regius, hoc est, vt ait D. Augustinus, animæ excelsæ & eminentes, quales Pontificiæ & Senatoriæ purparatæ, Ecclesiæ & Regni columnæ primæ sunt, quæ veritatis, fidei & iustitiæ luce illuminantur, quam postmodum in colles & valles, hoc est in populos diffundant.

Sic eminentissimos olim legimus Prophetas,

Pontifices, Reges, Apoſtolos à Deo conſtitutos, qui populos in virtutibus & meritis informabant, præluxiſſe, eoſque penes ſe Medicinæ habuiſſe rationem propriam, quam populis etiam communicabant: iique Medici veri eruditione, peritia & probitate præponebantur, atque in ſanitate integra conſeruabant, & ſanabant.

Sic ab omni memoria obſeruauimus, ſummos Pontifices, Reges, Præſules, Iuſtitiæ antiſtites, & alios quoſvis eminentiſſimos veritatem & puritatem Medicinæ rationalis exaltauiſſe, & rationalium Medicorum legitimorum virtutem, peritiam & probitatem honorauiſſe, eoſque magnis laudibus affeciſſe.

Velim ergo noſtris temporibus nunquam ſatis celebrandum & magnificandum Eminentiſſimum Card. D. Doſſat præponere, cui cum eſſet Henrici Magni Regis ſanitas in ſumma conſideratione & cuſtodia, & vitam ad Regni conſeruationem maxime neceſſariam eſſe omnibus cerneret, Roma literas ad D. de Villeroy miſit, vt diligentiſſimè caueret, ne in tanta falſorum Medicorum & empiricorum multitudine vanis eorum promiſſis & arcanis, penè ſemper præſentibus venenis, vllo modo aſſentiretur, ne maximo Regni & omnium Gallorum damno Rex caſu repentino raperetur: neque verò ſolùm quidpiam per os à Rege ſumi permitteret, ſed etiam corpori exterius admoueri & apponi, quod ab iis eſſet exhibitum, ne dum ſcelerati panem præferre ſimularent, lapidem aut ſerpentem porrigerent, aut potionem pro ſalutari darent mortiferam.

Neminem ergo Medicum, niſi eruditione, peritia, probitate, & longo vſu exercitatum, ac publica voce in Academiæ conſpectu probatum admitteret ad Regem, nec ipſi incompertum, quid, quando, quan-

tum, quo tempore, quare, quo modo vſurpandum eſſet. Etenim Gallici Regni, & Regis, & coronæ, & gloriæ, & nominis hoſtes, inquit, nullas non malas artes excogitabunt, nec vllum non mouebunt lapidem, quo non modò Regi & Regno officiant ſuis maleficiis, ſed etiam vtrumque ſubuertant & deſtruant ſi poſſint. Sed ne ea accidant, tua, qua Deus te inſigniuit diuina prouidentia, ratione & intelligentia vſus diligentiſſimè prohibebis.

Neque verò vulgarem, popularem & communem illam prouidentiam, rationem & intelligentiam cæcam & incultam, vix vltra inſtinctum naturæ animalium aſſurgentem & eminentem Eminentiſſimus ille commendabat, ſed ſagacem & ſolertem illam atque ingenioſam, quæ vt inuentæ ſunt artes per cauſarum perquiſitiones, ita per eaſdem exercentur, nempe à ſapientibus, peritis, probis & longo vſu conſummatis in artis operibus fœliciter, citò & tutò perficiuntur; cuiuſmodi ſunt in Eccleſia Eminentiſſimi Cardinales, in rationali ſola Medicina, ſoli Medici rationales, veri & legitimi.

Iniquiſſimum nobis eſſet reticere ſilentio Eminentiſſimum Cardinalem, proſapia & pietate perpetuò celebrandum & glorificandum, D. de la Rochefoucault, qui præſens cum adeſſet Regi Lud. XIII. quo tempore poſt Heroardum, ſibi Medicum Pariſinum primarium B. adiunxit, eodem momento Regi maximè gratulatus eſt, quod nullius aulici commendatione, ſed ſola probatione publicæ eruditionis, peritiæ, probitatis & exercitationis longæ in recta medendi ratione, iam in ſuo apud Villeregium morbo curando expertus fuerat, ſibi ſalutarem Medicum ſelegiſſet: Regum verò pręcedentium non inſigniter arguens incuriam, qui ſibi ignotos, nulla

doctrinæ,

doctrinæ, peritiæ & fidelitatis certitudine, ſed ſuſpecta aulicorum ſuorum fide, aut inſidioſa aliqua commendatione ſuggeſtos ad munus illud, aut potiùs onus aleæ plenum periculoſæ admiſiſſent.

Nefas etiam prætermittere, Eminentiſſimum Cardinalem Valeteum, qui conſilium magnatum, aulicorum, politicorum & bellicoſorum multorum Pariſiis habitum, vt pernicioſiſſimum reiecit. Cui cum promiſſionem temerariam Seminii cuiuſdam Empirici famoſiſſimi propoſuiſſent, qua Regi ſanitatem integram & perpetuam ſpondebat circulator impudens & nefarius, ſi ſemel Rex arcanum ſuum pharmacum ſorberet, velle quadrigis diſtrahi, & dilacerari ni ſanaretur: idque ſignificari Regi & Eminentiſſimo Richelio poſtulauerunt ab Eminentiſſ. Card. Valet. ad quos hæc reſpondit: Quid ſi ſumptum pharmacum Regi vitam adimat, an ereptum morte Regem Seminius in partes ſectus ad vitã reuocabit? An aliquis auſus fuerit Regi renunciare credendum eſſe Seminio, Medicinæ rationalis, & morborum, & naturæ Regis, & cauſarum generalium & particularium ignariſſimo, & nequiſſimo viro? Quibus auditis diſſipatum eſt mox inſipientium conſilium. Poſtquam tale reſponſum ad Regem & ad Eminen. Richelium relatum eſt, maximam gloriam ab vtroque Valeteus ex tam vero fidelitatis teſtimonio reportauit.

Sed ante omnes ratione, ſapientia, prudentia, iudicio, virtutibus, rerumque Gallicarum adminiſtrandarum ſcientia, peritia & probitate ſpectatiſſimus Eminentiſſimus Cardinalis Richelius, in omnem poſteritatem prædicandus eſt, & ſemper in aſſerenda rerum medicarum ratione, veritate & æquitate laudandus; qui centies aſſeruit, Regem mil-

lies occubiturum fuisse, si eius cura circumforaneorum Medicorum alicui, qui passim circumferuntur innumeri, fuisset demandata; nec potuisse aliter cõtingere, quàm vt externorũ primo occursu, vel internorũ incursu, vel ignorãtiæ & imperitiæ temeritate, vel opinionis leuitate, vel animi prauitate interiisset. Quãobrẽ ipsimet tum Rex iustissimus, tum etiam Eminentissimus Richelius primario Medico sæpiùs interdixerunt, ne cum aliis vllis Medicis de Regis internis affectionibus, sanis & morbosis communicaret, neve in consilium vllos vocari postularet, maximè quia ab omnibus aulicis, atque etiam à magna parte Medicorum, qui Regi apud Villeregiũ & Lugduni ægrotãti & aliis in locis, multò etiam magis sequentibus temporibus tam crebro recurrentibus, & tam instanter vrgentibus morbis malè Regi ominabantur, & instantem ac penè præsentem horis omnibus eius mortem palam & passim significabant. Quibus publica Regni negotia ita infirmari Rex & Eminentissimus Richelius querebantur, vt nulla ratione cum hostibus externis de pacis conditionibus conuenire possent, qui spe nouitatis rerum non minima per Regis interitum continenter pascebantur.

Quoties vero hortati sunt primarium Medicum, aulicis non paucis præsentibus, vt suæ non minus quam Regis tuendæ sanitati studeret, cum longo vix tempore liceret parem efformari, cui particularis natura Regis & affectionum morbosarum partium esset tam accuratè cognita & perspecta?

Sed Politici multis se antiquis & nouis dubiis ancipites teneri dicent, ne veritati Medicinæ rationalis fidem habeant.

1. Ex antiquis hæc sunt: Ægros similiter sanari, fortunæ alea, ac rationalis Medicinæ ope.

2. Multos sine vllius Medicinæ veræ aut falsæ pre-

fidiis, consiliis & auxiliis saluari.

3. Si ars aliqua esset vera & certa medicatrix, omnes saluaret, nec tam multos deploraret insanabiles.

4. Quod eos tantùm suscipit ægros sanandos, quos natura sola sanare potest.

Hæc olim Hippocrati obiecta, ipsemet ita dissoluit.

Primò quidem dubio respondit; eos insanire, qui non credunt, quod omnes verum esse agnoscunt quotidie & experiuntur, & ratio fateri cogit & conuincit, maximè verò ægri ipsi, qui suis morbis arte, methodo & iudicio peritorum adhibitis remediis salutaribus fuisse sanatos, quotidie agnoscunt & fatentur. An non enim quia propriis causis morbificis propria, conuenientia & necessaria remedia cum ratione præscripserunt, & suos congeneres & salutares effectus produxerunt; an hæc sunt fortunæ opera, quæ aliud nihil est, quàm causa accidentaria & contingens, ex qua aliud, quàm quod propositum est accidit & subsequitur: vt si bonum sit, bona fortuna successisse, ex accidenti, non per se dicatur; sin malè, mala? Ergo nudum nomen est fortuna, nec quidquam est, nisi consectarium ad id quod per se est. Scilicet ad artem & ad periti Medici iudicium, methodum & industriam bona fortuna sanationem secuta est, non quod ipsa sanauerit.

Secundo dubio respondet. Esto ægri multi sine Medicis sanitatem recuperent, non tamen sine Medicina, aut per inediam, aut somnum, aut potiones, aut alia quæ artis essentiam & ceritudinem attestantur. Si enim (inquit) morborum, aut causarum indeterminatarum ægri ipsi inscij per ipsa quæ casu & sorte oblata sunt, fœliciter & verè sanitatem recuperauerunt, quanto veriùs & certiùs sanitatem suam recuperassent, si eorum vsus ex arte, ratione, causa-

rum inſpicientia fuiſſet definitus, veritatem artis & excellentiam declarauiſſent? Vbi enim rectum & prauum certis finibus continentur & circumſcribuntur, in iis eſt ars, inquit. Vbi verò non ſunt vlli termini, illic eſt inertia. Sic vbi quis peritus artis mediis vtitur circumſcriptis, ſemper per ſe iuuat aut medetur. Vbi verò imperitus nullis vtitur, ſemper nocet, aut interficit.

Tertio reſpondet, eos indigere elleboro, qui dicunt morbos omnes ſanari poſſe ſine rationali arte: aliena enim ab arte, & Medicis rationalibus impoſſibilia proponunt, ipſique craſſa ignorantia & inſania laborant. Quorum enim inſtrumentorum vires & virtutes naturæ & artis Medici obtinent (inquit) per ea periti artifices eſſe & dici poſſunt. Quotquot ergo inſanabilium morborum ſanationem quærunt, ſtulti ſunt & amentes, & quotquot promittunt, amentiores, qui naturæ artis & inſtrumentorum viribus carent Empirici.

Quarto reſpondet, alios eſſe morbos leues, faciles, ſanabiles, eoſque plurimos: alios verò graues, difficiles, acutos, dubios, eoſque pauciores: alios perperacutos, pauciſſimos, vix ſanabiles.

Leuiorum ſolutionem ſolò naturæ robore & veri Medici induſtria facilè obtineri, errore verò falſi Medici, aut ægri ipſius, aut aſtantiũ, aut cauſarum externarum incuria, imperitia, inertia, temeritate, caſu fortuito eoſdem, licet leuiſſimos, in graues, difficiles & inſanabiles poſſe degenerare, exaſperari, & augeri, naturam cõturbari, alterari, atteri, & ſæpè inopina morte vitam eripi. Quis ergo dubitet (inquit) graues per ſe, difficiles, acutos & dubios morbos, vel omiſſione rerum neceſſariarum, vel commiſſione contrariarum, per ignorantiam imperitorum fieri inſanabiles? & ignorantiã tam malum eſſe θησαυρὸν καὶ κειμήλιον,

quocumque modo ſumatur, vt officiat, diruat, diſperdat, & impares reddat ægros ſuſtinendis morbis tantis & erroribus tam noxiis, cum ne Hercules quidem contra duos reſiſtere poſſit? Hippocrates exemplis, quibus idiotæ potius mouentur quam rationibus, id confirmat.

Quemadmodum ſereno cælo & tranquillo profluente nauigia leni aquæ decurſu ad portum ſuopte motu feruntur, quod tamen ignari & inexercitati nauiculatoris arti & imperitiæ iniquè vulgus tribuit. Sic facilium & leuium morborum ſolutiones, quæ naturæ virtute & robore accidunt, ſæpius ignaris medicis, empiricis, miniſtris, clinicis mulierculis, agreſtibus iniquiſſimè inſana plebecula & nimiùm credula accepta refert, cum laus ſit immerita. Aſt in tempeſtate procelloſa, aduerſis remis & ventis, quis non videt imperiti & inexercitati nauarchæ inertia præſens portendi nauiculæ naufragium? Sic etiam in grauiſſimis morbis quis ſub ineruditis & imperitis Medicis, ſi bene attendat, non agnoſcet & reformidabit certiſſimum periculum? Qui cum nullo ferantur cognitionis, cauſarum, naturæ ægrorum & morborum, rationis & iudicij remigio, quis non timeat, ne omiſſione neceſſariorum commiſſione contrariorum peſſimè peccent, cum etiam circumſpectiſſimorum Medicorum cura ſit ſemper comes aſſidua, ne quidpiam omittatur aut committatur contrarium?

Quæ cum ita ſint, dicimus rationalem ſcientiam eos ſolos ſanandos morbos & ægros ſuſcipere, quos natura ſola ſine arte nequeat ſuperare: naturam vero eſſe imparem ſolam, vt ſemper ſuperet etiam leuiſſimos, cum tam facilè ex ſeſe, & ex materiæ, cuius ſubjacet tyrannidi, inconſtantia & inſtabilitate à pro-

posito deturbetur & auertatur, vt initio abundè demonstratum est. Si ergo interire ægros contigerit, seu in leuibus morbis, seu in grauibus, cur potius causam interitus tribuant arti aut Medico rationali, quàm naturæ, aut ignaro, imperito & improbo Medico? Quidni ægrorum intemperantiæ & peruicaciæ, erroribus astantium, externarum causarum casibus improuisis? An non astantes & ęgri ea quæ opinio sua dictat potiora iudicant, quàm quæ ratio vlla & scientia? Qui cum nesciant qua ex parte ægrotant, quam ob causam, & quid sit consecuturum, tamque malè sint affecti ex pręsentibus, futura tam metuant, morbi grauitate tam opprimantur, an non potius, quæ ad morbum faciunt, quàm quæ ad sanitatem? An cum in omnibus sint impotentes, fortiter morbo & symptomatis obsistunt? An in omnibus patientes sunt, arti & Medico rationali obedientes? An non renuunt vtilia & salutaria potius, quam ad normam veritatis & iustitiæ exequantur præscripta & mandata? An non æquius est ægros defuisse sibi, quam Medicinam rationalem & Medicos credere, ea quæ necessaria fuerunt non imperauisse? Qui sani mente & corpore in omnibus optimè ratiocinantur, & singula quæque accuratè explorant, inspiciunt, expendunt, dignoscunt, præuident, prædicunt & præcauent, adeo vt omnes ægri & astantes eorum cura & peritia se euasisse fateantur.

Quis ergo dixerit in huiuscemodi tot periculosis casibus artem non esse necessariam, sed naturam solam sufficere, quæ etiam sola leuissimos morbos faciat insanabiles? Quid ergo sola faceret contra grauissimos?

Præter antiqua illa dubia Politici alia proferunt non pauca, quæ anxios & ancipites eos tenent, ne

in partes rationalis artis potius inclinent, quàm empiricæ ſectæ.

Prima obiectio eſt, Empiricam fuiſſe primam, communiter vſitatam, multis ante Hipp. ſæculis, eius tantum vix vmbram apparuiſſe in Troiana obſidione, ſed nullam poſtea factam eius mentionem, eiuſque euanuiſſe memoriam per 600. annos, donec exortus Hippocrates eam publico vſui communicare cœpit, quæ tamen poſt eius interitum in nouum denuo ſexcentorum annorum deliquium incidit, donec eam Galenus de tumulo penè extinctam reſuſcitauit. Quibus omnibus ſæculis aut Empirica ſola, aut ei adiuncta Methodica in communi vſu apud omnes habebatur. Quare ergo & noſtris temporibus ſectas illas & innumeras alias, quas poſterior ætas nobis ſuſcitauit & protulit Paracelſiſtarum, Magneticorum, & aliorum eiuſdem farinæ quorum meminimus, non amplectamur à quibus nos, vt antiqui à ſuis morbis, pro arbitrio ad libitum curemur?

Secunda eſt, plures ſanari ab Empiricis & ab aliis ſectis, quos rationales Medici aut non recipiunt, aut receptos deſerunt vt incurabiles, vt luculentis exemplis publicè notum fuit omnibus in Heroina Maria Niuernenſi, quæ nunc eſt Poloniæ Regina; in Comite & Equite Dorualio & aliis.

Tertia eſt ex Philoſopho, Empiricam feciſſe artem; eſſe ergo rationalis Medicinę parentem, & priorem, hoc eſt remedia primùm inuenta fuiſſe, ſed poſt remedia inuēta, rationem eſſe quæſitam, hoc eſt cauſas eſſe quæſitas & inuentas. Ergo Empiricam eſſe ſaltem æqualem, aut parentem priorem, & potiorem & præſtantiorem. *1. l. metaph. c. 1. & ex proœm. Corn. Celſi.*

Quarta, intempeſtiuum nunc eſſe, poſt tam longā ſæculorū ſeriē refricare veteres illas querelas Hippo-

cratis iam exoletas, à longiſſimi temporis præſcriptione inemendabiles.

Quinta, ipſo iure veterum Legiſlatorum confirmari, Politicis eſſe propriumetiam curam habere publicæ ſalutis.

Sexta, Medicos ipſos hiſce noſtris temporibus manifeſtius quam vllis videri inter ſe tam diſſidentes & diſſentientes,tam in ſcholis, quam apud ægros, in conſiliis & ſententiis, de pręceptis & documentis, cognoſcendi, ſciendi, docendi, prędicendi, medendi & iudicandi, modò de doctrinæ corruptione, modò de deprauatione & peruerſione diſciplinæ ſuæ, modò de remediis & eorum vſu, modò de mineralibus aquis, modò de ſtibio, vt vix vllus reperiatur, qui verè credere poſſit arti & ſcientię, cuius nulla ſit veritatis certitudo & conſtantia.

Singulis ordine ſatisfaciendum eſt.

Primæ quidem abundè factum ſatis dicet, qui eorum quæ antea ſunt de veritate & certitudine artis rationalis per cauſas & per effectus dicta poſt Galenum, & de aliarum quarumcumque ſectarum falſitatibus, erroribus & fallacijs meminerit. Cui ſi quid accedat vitii, erroris & maleficij, id non eſſe arti, ſed artificibus falſis, ignaris & vitioſis imputandum eſſe deprehendet, hoc eſt falſis Medicis, quales Cato, Plinius & Galenus ſuis temporibus ſcripſerunt, ignorantia & prauitate ſua corrupiſſe rationalem Medicinam, corrupiſſe mores Imperij Romani, & ſectarum falſarum varietatibus & nouitatibus, funeribus creberrimis ac licentia Politicorum vrbem repletam fuiſſe, quales Arabiſtas & Semidogmaticos poſtremis temporibus noſtris deſignauimus. Siquidem Medicina rationalis vnica à Deo profecta & commendata,ab omni antiquitate ad hæc

vſque

vſque ætatem ſimiliter firma columna declarata eſt contra Empiricorum, falſorum, atque etiam omnium profanorum iudicum ſectas, ſicut fides Chriſtiana contra omnes Atheorum, Gentilium, Iudæorum & Hæreticorum opiniones falſas: vt credibile ſit eos, qui malè loquuntur & ſentiunt de Medicina rationali, & fauent potiùs Empiricæ, malè etiam loqui & ſentire de fide Chriſtiana, & Chriſtum ore fateri quidem ſimulato, corde verò & re ipſa negare, necnon mandata eius æſtimare vt fabulas, & accinere vt cantilenas.

2. Secundæ obiectioni, quæ eſt, ſanari plures per Empiricam, quos rationalis Medicina deploratos relinquit; etiam ſatisfactum eſſe ſequitur præcedentibus, & falſa eſſe exempla, quæ de Heroina Maria Niuernenſi, & de Comite Dorualio adducta ſunt, nos qui veritatem facti perquiſiuimus in dicta Niuernenſi Heroina, & qui ex iis ſumus, qui ad Dorualium Comitem vocati fuimus, profitemur: Erant ſiquidem Semidogmatici & Arabiſtæ extranei, non familiæ Medicinæ rationalis Pariſinæ, qui Mariam Niuernenſem deſperauerant & deſeruerant. Qui vero Comiti Dorualio medicinam faciebant, erant quidem Medici Pariſini, qui cum ægrum ab extrema plenitudine & hemitritæa febre, ſummæ malignitatis putredinoſæ participe, cum principum partium & totius corporis oppreſſione ſumma & cruditate correptum crebris ſanguinis miſſionibus leuauiſſent, & ab eminentiſſimo periculo mortis præſentis liberauiſſent, aſtantes impatientes acceſſiuerunt Empiricum, inſciis Medicis, qui potione ſua purgationem, quam apparauerant, aſtantibus conſciis præuenit, & gloriã curationis reportauit apud vulgus iniquiſſimũ. Sic tulit alter honores. *Sic vos, non vobis.* Quid ini-

quius vulgo, animali, rudi, bruto, qui nescit nullam dari rerum, quæ ex accidenti accidunt, scientiam; nec vllam ex iis sequi veram & certam consequentiam, nec habendam iis fidem vllam, vixque è mille euentum ex voto fœlicem vllum responsurum Empirico casu & fortuna: Ast iis, à quibus per rationem veram artis & certam causarum generalium & particularium scientiam curationes methodo rationali sunt susceptæ & institutæ, vix è millibus vna fallat, vix vnica fœliciter non succedat.

Si exacta per Politicos facta fuisset perquisitio eorum, quos Seminius per suum pharmacum sustulit, millenarios fuisse interemptos per idem intempestiuè exhibitum compertum esset.

+ Empiricus theatralis qui vocabatur Seminy.

Hoc ipsum obiectum fuit à D. Procancellario Mariliaco, cum ad eum primarius Medicus comite D. Seguino seniore accessit, vt Medicinæ miserè afflictæ per falsos Medicos & Politicos succurreret. Sed postquam primarium coram Rege de ea re conquestum audiuit, statim sententiam retractauit, vt paulo post notum fiet.

Obiter vero monuisse non est alienum, tantam esse falsorum Medicorum, extraneorum & empiricorum in Vrbe copiam, & tam iniquam temerè iudicantium de rebus, personis, actionibus & operibus medicis ignorantiam, vt quicumque errores, vitia & maleficia ab ignaris & falsis Medicis profluunt, quæ sunt innumera, in legitimos & veros Parisinos refluant, & retorqueantur, non in authores suos.

Ad tertiam obiectionem, quæ est, Empiricam esse artis rationalis parentem & priorem, ergo potiorem & præstantiorem, ac potius retinendam, aut saltem simili modo cum filia matrem: Negandam esse consequentiam. Quasi verò quicquid ortu, & tempore

prius eſt, ſit etiam honore, meritis & gloria potius & præſtantius. An non Titydes fuit melior patre, Alexander Philippo? Sic etiam Medicina rationalis Empiricâ? Imo tanto melior, quanto rationale irrationali potius & præſtantius eſt.

Certum quidem eſt, homines ab initio notauiſſe per experientiam, quæ iuuarent, quæque nocerent: commendauiſſe quæ ſanitati meliùs reſponderent, reliquiſſe & prohibuiſſe quæ moleſta erant: Medicinam ortam ſubinde aliorum ſalute, aliorum interitu perniciosa diſcernentem à ſalutaribus: Sed præſtantiores viros & ſapientiores nulla mora admirari & philoſophari, ratione quærere & exactè explorare cœpiſſe cauſas in frumento, frugibus, cerealibus, fructibus, carnibus, crudis, coctis, quæ familiaria, quæ extranea & aliena, quæ vtilia, quæ noxia: præparauiſſe, trituraui ſſe frumentum, ſubtraxiſſe heterogenea, adipem ſecreuiſſe, pinſuiſſe, mollificauiſſe, coxiſſe in panem: ſic cætera alimenta, ſic medicamenta parauiſſe, vt poſteros ab omni noxæ periculo & metu ſeruarent ſanos, & ſanarent ægros, adhibitis tandem circunſtantiis methodicis artis & ſcientiæ rationalis, temporis, quantitatis, qualitatum, modorum & vſus debiti, vt integrè ſana, longa & fœlici vita fruerentur. Quis dicet hæc ratione & cauſarum notitia quæſita, non eſſe potiora, præſtantiora, tutiora, meliora quibuſvis experimentis periculoſis & mortiferis; & artem rationalem empirica potiorem & præſtantiorem? Sic rationalis Medicina conſtituta eſt à ſapientibus viris primùm, nec quicquam profuit experientia, quam poſtquam ei ratio eſt adiuncta, vt eius inuenta confirmaret, vt meritò ſit poſterior rationali. Nam cum empirica obſeruatio pendeat ex multis experimentis eiuſdem rei, ſemper vti-

libus aut noxiis, necesse est rationali scientiæ, quæ vtilia à noxiis secernit, debere esse consectariam, vt sit vera, certa, tuta, constans, Medicinæ comes assidua: aliam verò quæ præcedit, esse falsam, fallacem, incertam, temerariam, noxiam & mortiferam, planè ab arte reiiciendam; quæ est ignorantium medicorum, politicorum, aulicorum, & vulgarium omnium; & aliam solam, quæ subsequitur, esse retinendam.

Neque est quòd ex Philosopho dicant, Empiricos sine ratione & arte magis assequi quod intendunt, quàm qui ratione vtuntur sine experientia. Ibi enim certum est, Philosophum duas illas partes, quibus constat Medicina, conferre inter se, Rationalem cum Empirica, & quærere, quæ verè sit potior, an Empirica sola sine Rationali, an Rationalis sola sine Empirica, & conclusisse pro Empirica.

Ast verò propterea separandas esse partes hasce duas, nec Philosophus, nec alius vnquam vllus censuit. Causas enim ipse profert, quod cum sit ars potius τῶν καθ' ὅλε, rerum vniuersalium; experientia potiùs τῶν καθ' ἕκαστα singularium, quas omnes Medicina complectitur, & circa notiones communes & præcepta generalia; & circa particulares & singulares actiones & operationes tota versetur & occupetur: Ideo necesse fuisse Medicinam vtroque illo crure & pede incedere, vtroque oculo dextro & sinistro intueri & constare, vt sit absoluta & perfecta, & omnia rectè, inculpatè & innoxiè peragat, operetur & iudicet, ne vllus sit errori locus.

Causam clarius illustrat. Dum (inquit) Medicus hominem sanat, non sanat nisi in genere & per accidens. Sed solum Calliam, aut Socratem per se sanat, vt singulares, quibus accidit vt homines sint. Qui ergo ratione sine experientia sanat, generale tantum

cognoſcit, ſcilicet hominem. Ignorat verò quod eſt ſingulare, nempe Calliam, in quo ſæpenumero à medica curatione aberrabit, quia quod ſingulare eſt, magis eſt curabile. Ergo *alterius ſic altera poſcit opem res & coniurat amicè* & ſi vtraque ſeorſim agat, rationalis ſine experientia; & hæc ſine illa, vtraque aberret & ſuo fine fruſtretur, & in grauia feratur diſcrimina & crimina.

Si tamen quæratur, inquit, quæ ſit earum partium honorabilior: dicendum eam eſſe, quæ facit ſcire & cognoſcere per cauſas, quæ docet τὸ δι' ὅτι, qualis eſt rationalis; quæ verò τὸ ὅτι ſolum docet, qualis Empirica ignobiliorem eſſe.

Idem ergo, dictum puta de Medicis, qui Rationalem cum Empirica iunctam arctè tenent, & de iis qui ſolam Empiricam ſequuntur, illos ſcilicet illuſtriores, qui dici poſſunt ſapientes; hos verò ignobiliores, qui nihil ratione, cauſarum notitia, conſilio & iudicio operantur, quales χειροτέχναι ſoli, nullo lumine artis & rationis illuſtrati, qui nulla norunt ſciendi inſtrumenta, nec obſeruant vnquam ea quæ ſunt per ſe, aut per accidens; quæ actu aut poteſtate, quæ in genere aut in particulari, quæ primariò aut ſecundariò, nec vllas norunt circumſtantias naturarum, affectionum, perſonarum, cauſarum, temporum, quantitatis, qualitatum, locorum, & modorum: nec diſcriminant, quæ vera medica magiſteria & methodica atque rationalia opera & iudicia, nec quæ ſunt miniſteria verè vilia, ſeruilia, irrationalia, mechanica χειροτέχνων, nec quæ falſa & iniuſta Politicorum profanorum iudicia, ignorantiæ germina.

An non ergo ij, qui ſola nituntur, ſine vlla ratione, experientia, ſunt à rationali Medicina ſeparandi, & à finibus eius exterminandi, & qui vtramque conſociant

& complectuntur, soli retinendi?

Pudere deberet huiusmodi ignaros, falsos Politicos & aulicos & Medicos, Philosophum, quem prose & pro sua Empirica stare putant, scripsisse eos esse similes rebus inanimatis, quæ faciunt & operantur ea quæ nō agnoscunt, nec sciunt; igni, qui nescit se vrere; aut animantibus brutis, quæ per solam agunt consuetudinem; asinis, qui solo instinctu & consuetudine triticum in pistrinum gestant: nec legisse Galenum, qui scripsit rationem fuisse datam hominibus pro omni arte, qua sibi in omnibus necessariis probè subuenirent, maximè in suæ sanitatis conseruatione & curandis morbis per artem rationalem, à ratione dictam, id est, à notitia causarum naturalium suarum, non naturalium & contra naturam, empirica obseruatione artificiali, nón animali & brutali confirmatam: nec scire rationem sibi non esse frustra concessam, sed vt ea faciant sola, ad quæ natura, arte & industria sunt nati & comparati, apti & idonei, non ea, quorum ignari, inerudìti, imperiti & inexperti sunt.

Non videre necessitatem coëgisse homines ad inuentionem artium, puta construendarum ædium, vt fugiant externas iniurias, vestium texendarum & conficiendarum, vt arceant aëris molestias: Et corpus humanum velint deterioris esse conditionis, quàm vt ratio eos mouere debeat, & necessitas impellere ad artem inueniendam sanitatis & vitæ suæ custodem, tutricem & curatricem, quæ suam materiam, formam, finem & artifices habeat proprios. Nescire esse dictum ab Hippocrate, oportere Medicum bene medentem intueri communia & propria: non videre rationalem Medicinam nihil non vniuersalium & particularium, communium & particularium rerum, in professione nihil tam occultum, ad quod Medici no

peruenerint, etiam in particularibus abditiſſimis naturarum, cauſarum, perſonarum, affectionum ſanarum, & morboſarum, necnon remediorum, alimentorum & medicamentorum, quod mirabili ratione ſua non penetrauerint, & manifeſtum ſibi non fecerint.

Quæ arcana facultatum animæ abdita, naturalium, vitalium, & animalium, motuum & ſenſuum, conceptionis, rationis, iudicij & memoriæ, in partibus, ſedibus, domiciliis & organis tot actionum, tot affectionum ſanarum & morborum, tot ſymptomatum, quibus viuimus, mouemur & ſumus, & quibus dolemus, ægrotamus, deficimus, & ſæpè citò morimur: quorum primordia, principia & fundamenta in anatomicis diſſectionibus non declarauerint.

In naturis morborum & quarumdam rerum & perſonarum θεῖόν τι ineſſe dixit Hippoc. Quis non admiretur, quomodo ex variis aëris & tempeſtatum mutationibus & ſucceſſionibus anni aut partium eius, ex quibus variant & oriuntur diſpoſitiones & præparationes ad morbos ſporadicos & epidemios, ordinarios, & extraordinarios, ęgrius aut facilius, prōptius aut tardius ſanabiles aut inſanabiles, (quas vocat φορὰς τῶν ἐπιδημεόντων,) ſcrutinio & ἀγχινοίᾳ ſua ſapienter eruerint, prudenter præmonuerint, opportunè pręuerterint, & appoſitè medelam propriam pręſcripſerint?

Ex iis ergo ſequitur, ſolam rationalem Medicinam & eius poſſeſſores peritos & probos, qui arte, iudicio & ratione, ſeu cauſarum vniuerſalium & particularium ſcientia & peritia vtuntur, ſolos rerum eſſentias, virtutes, & proprietates corporum, partium, affectionum, ſanarum, morboſarum & neutrarum; alimentorum, medicamentorum & remedio-

rum euentus, medelas, tempora, momenta, quantitatum mensuras, & qualitatum gradus verè scire, certò prædicere, rectè mederi, iustè iudicare & conuenienter prescribere & operari posse. Vno verbo solos rationales per causarum scientias esse veros Medicos, & nullum irrationale animal hanc artem exercere, inquit Celsus: Vt cęcos nullos de coloribus, surdos nullos de sonis: sic nullos Empiricos, Semidogmaticos, Politicos, aulicos & artis medicæ profanos de personis, actionibus & operibus medicis verè loqui, benè ratiocinari & iudicare, agere, & operari, & rectè prędicere posse.

Ergo hac sola ratione obiectiones adductę, de priuatione rationalis Medicinę ante & post Hippocratem, de sanatione temeraria per Empiricam, de Niuernẽsi Principissa, & Comite Dorualio, & de ęgris in quauis secta sanatis aut mortuis euanescunt: manetq; verum & certum, sanari omnes in sola rationali per se, in empirica omnes aut lędi, aut mori: & si sanantur nonnulli in Empirica, ex accidenti tantùm sanari, & millenarios perire. Ecquid erit pretij? Vna est regula recti, multiplex aut infinita erroris & obliqui. Illam soli sequuntur sapientes, & prudentes, pauci quidem; hanc verò insipientes & imprudentes, innumeri, ne dicam penè omnes in rebus, personis, actionibus & corporibus medicis ignari.

Ne verò scrupulus aliquis animis eorum inhæreat, ex eo quod dictum est, empiricam medicinam versari magis circa singularia & particularia, & rationalem medicinam totam esse rerum vniuersalium, vt ad particularium & singularium cognitionem tantum perducat. Dixeritque etiam Galenus, singulares & particulares proprietates esse ἀῤῥήτους, quas si assequi arte & iudicio posset, similem fore se Æsculapio & æqualem

lem profiteretur: Fracaſtorius etiam ſcripſerit, earum cognitionem eſſe ſoli Deo perſpectam, cum ſit certiſſimum ex Philoſopho, Hippocrate & reliquis Medicis, θεράπευτον τὸ καθ' ἕκαστον μόνον, ſingulare ſolum eſſe curabile. Quid ergo opus illo tanto rerum vniuerſalium apparatu rationalis Medicinæ, cum id ſolum ſufficiat, quod Empirica ſola, quæ eſt particularium rerum, per ſua experimenta ſuppeditat? Sitque vero conſonum, quod à ſacris & ab Homero didicerunt, morbos ad iram deorum immortalium eſſe relatos, ab iiſque opem poſci ſolitam per experimenta potiùs, quàm per artem & rationem?

Dicimus, principes Medicos, in iis potiſſimum ſuas operas, ſtudia & documenta collocauiſſe, vt per generalium omnium notitiam, quaſi per gradus diuiſionum & diſtinctionum, veluti à ſummo vertice montis ad imum vſque gradum, ad vnum ſingulare numero indiuiſibile, quod ſolum curat & curatur, Medicos deducerent: quod ſi non exactè attingant, proximè ſaltem ad illud accedere contendant. Dixit enim Hippocrates, raro iſtud τὸ ἀκριβὲς obtineri in omni re: at vero ſapientiores & peritiores ἔγγυς τοῦ ἀρεκεστάτου accedere proximè. Qua in re obſeruantur magna inter artifices, maximè inter Medicos, diſcrimina: nã alij aliis ſunt ingenioſiores, peritiores, & acutiori lumine mentis præditi, qui in centum vix ſemel offendunt: alij, qui pluries hallucinantur, licet non grauiter & mortiferè. Semper enim ſapiens, peritus & probus confert: vt contra inſipiens, imperitus & improbus ſemper nocet, nec vnquam prodeſſe poteſt: aut ſi ſemel vnus è millibus euaſerit, id ex accidenti, non per ſe contingit: A Medicina & à Medico rationali, ſapienti, perito & probo per ſe, vix è millibus vnus, induſtria & ſedulitate ſaluus non euaſerit.

Hæc vero non artis, ſed hominum vitia ſunt, vt pluries etiam dictum. Certum quippe, vt in diuinis, qui in fidei & mandatorum obſeruantia vixerit, ſaluus erit: qui in iis peccauerit, vel hæſitauerit in fide, vel in vno grauiter offenderit, ſi non pœniteat peribit. Sic qui in ſanitate tuenda, aut à morbo reſtituenda, à recta Medicina rationali receſſerit, & ad Empiricam irrationalem confugerit, eique ſe commiſerit, non impunè, ſed cum graui ſanitatis noxa, aut vitæ certo diſcrimine abibit. Etenim principes duo illi Medicinæ rationalis Hippocrates & Galenus, omnia in Medicina per cauſas & per effectus declarauerunt.

Sic ſuum Hippocrates τὸ θεῖον (vt dictum iam eſt) non eſſe quid occultum, nec in naturis & morbis mulierum, nec virginum, nec Scytharum effœminatorum, nec epilepticorum: ſed totum quicquid eſt, eſſe cognitum per ſuas cauſas humanas, nihil in iis diuinum, niſi vulgo & ignaris, demonſtrauit.

Sic neque Galenus ad omnes affectus ſanandos quatuordecim libris methodi medendi, vlla occulta remedia, ἄλογα & occulta protulit, ſed deriſit vt vana: quia nullos morbos illis in libris recenſuit, nec agnouit, quos occultos, ſola experientia & antipathia, oppoſitis & contrariis antidotis expugnaret. Sicubi namque eorum meminit more ſapientum; aliter in libris ſuis πρὸς διέξοδον, aliter in aliis πρὸς μνήμην editis; ex more vulgi locutum ſciueris, aliter ex ſua ſcientia, aliter ex aliorum ſententia.

Libro quidem primo ſimpl. alimenta, medicamenta cathartica & ἀλλοιωτικὰ, antidota & venena deleteria à tota ſubſtantia, occulta occultis oppugnanda cõmemorauit, ſed eo ſenſu, qui dictus eſt, intelligẽda.

Author eorum, aſſertor & vindex Fernelius

in abditis rerum causis ea astruxit, nulla tamen certa occulta dedit medicamenta, quibus ea expugnaret, quàm manifesta & rationalia. Certè vix vllæ sunt naturæ, vllæ causæ, vlli morbi, qui certa non indicent sapienti, perito, & ingenioso Medico, veroque rationali essentiæ suæ specimina & testimonia: vixque etiam Medicus vllus verus, si verum dicere velit, tota sua vita occurrisse sibi formalem & occultam causam affirmauerit, quam particulari, specifica & propria antidoto, à tota sua substantia contraria, vna vni, oppugnauerit, cum nullum tale adhuc in natura vnum vni contrarium repertum sit, sed communia multa multis: quorum tamen via & virtus magna ex parte manifesta & ratione inuenta est, qualia theriaca, mithridatium, confectiones alkermes, de hyacintho & alia innumera, quæ suis qualitatibus manifestis, cum suæ materiæ commoderatione, aut partes roborant, aut temperant, aut spiritus statim regenerant, aut humores repurgant & depurant, aut pseudopneumata discutiunt, aut putredinis incrementa intercipiunt, aut malos ichoras absorbent & desiccant, quæ non nisi per causas manifestas perfici nemo non dixerit.

Cùm enim Medici illi principes principiorum vitæ essentiam, & partium omnium corporis & causarum, affectionum sanitatis & morborum, quibus partes constant, seruantur & destruuntur, naturam & materiam non aliam agnouerint, quam manifestam & cognitam: Sic etiam non alia descripserunt remedia, quàm alimenta & medicamenta, ad conseruationem & curationem manifesta & cognita: occulta verò omnia, vt vana aut inutilia, aut noxia reiecerunt.

Si quæ tamen conditionibus & proprietatibus, lon-

go vſu obſeruationum per experimenta, ſemper, ſibi ſoli & omni probata fuerint, non abiiciunt, nec deſpiciunt. Sic alimenta, ſic quæ ſunt quæ agunt à tota ſubſtantia, & quorum occultæſunt virtutes, retinuerunt; cum tamen eorum cauſæ magna ex parte reddi poſſint manifeſtæ, vt alimentorum. Si quod ſapit nutrit, ſi dulcibus nutrimur: ſi ipſe Galenus tranſlatus in terram carentem alimentorum vulgarium vſu, profitetur ſe reperturum per ſapores alimenta, quibus veſci & ali poſſit, an non ergo alimenta per cauſas manifeſtas alunt? Si amara & ſalſa & acria per δῆξιν apud ~~Galenum~~ purgant, an non etiam medicamenta purgantia ſunt manifeſta? Si alexipharmaca hæc quæ diximus in cardiacis efficiunt, an ſunt hæc occulta & à tota ſubſtantia? an non potius à manifeſtis qualitatibus manifeſta, & ratione ac methodo quærenda?

+ authores

Eſto ſuperſint venena quædam deleteria, vt morſus ſcorpionum, viperarum, draconum marinorum, canum rabidorum, quæ ſola occulta & à tota ſubſtantia contraria dicantur: mineralia enim, arſenicum, hydrargyrus, ſtibium, vitriolum & reliqua ſeptica, eſcharotica, cauſtica, narcotica, & quæcumque miſta, quia à temperie moderata longiùs diſtant, ideoque ad veneni naturam propiùs accedunt, quis dixerit occulta?

Si ergo vnum vni contrarium, formale & ſpecificum occultum non habeatur, quo phalangij, aut viperæ, aut canis rabidi, aut draconis marini mortale virus, ſeu interiùs aſſumptum, ſeu exterius admotum, ſine adhibitis diorifmis rationalibus profliges & ſuffoces, nec ſit vllum tale à natura datum; an non cogeris ad artis & rationis indicationes confugere, quæ tibi per cauſarum manifeſtarum notitiam ne-

cessaria in subito casu suppeditabunt vniuersalia pridem excogitata, theriacalia, sudorifica, diuretica, cathartica, assumpta, admota, exugentia, epispastica, vrentia? An non, si corpus veneno infectum sit plethoricum, aut cacochymum, aut obstructum, difficilius virus resolues? si non ante euacues? si impedimenta non tollas? si modo tardum sit virus. Si verò natura sua citissimè ad intima permeet, inspiratum, insinuatum, assumptum, aut ingenitum, vt quod ex pestilenti aura, aut putredine ἀλλοκότῳ & extrema congenita ortum est; an non resolues citissimè prædictis diaphoreticis? Ast hæc quæ dicta sunt, non sunt occulta, sed manifesta, arte, methodo, & ratione vsurpanda.

Maneat ergo decretum Hippocratis verissimum, in perpetuum seruandum, infidum esse & fallax in conseruatione sanitatis, & vitæ, & in omni morborum curatione, quod non sit ratione vera & certa causarum notitia, arte, methodo, consilio & iudicio conuenienter, & accommodatè, proportione ac distributione geometrica cuique propria descriptum, & vsu longo, diorismis omnibus, non modo generalibus, sed etiam particularibus obseruatis confirmatum, & ab omnibus peritis artis iudicibus comprobatum, cum tam pauca sint, aut potius nulla specifica, vera & occulta, vnum vni, contraria, sed omnia penè sint manifesta & ratione inuenta propria?

Verum quia nulli sunt eorum qui ignorant artem, tam æqui, qui post ægrorum interitum non credant aliquid à Medicis fuisse omissum, quod esset necessarium; aut commissum, quod fuerit noxium: qui non credant omnia esse in omnibus, & curandis morbis, vnum esse in rerum natura tam omnibus in vniuer-

ſum, quàm in particulari cuique morbo ſpecificum, par & ſufficiens à Deo creatum, quod non fuerit vſurpatum, quodque his potius, quàm illis ſit cognitum & exploratum.

Cumque non modo ipſi quotquot ſunt profani artis & alieni, ſed etiam ipſi Medici rationales, quotidie obſeruent deploratos à rationalibus Medicis prętur ſpem reſurgere: Scribat etiam Scribonius Largus obſeruauiſſe, inter deliberationes contentioneſque Medicorum authoritate præcellentium, dum quæreretur, quidnam faciendum, aut qua ratione ſuccurrendum eſſet ægro: quoſdam humiles quidem, & alioquin ignotos, vſu verò peritiores, & (quod fateri pudet) longè ſummotos à diſciplina Medicinæ, ac ne affines quidem huius profeſſionis, medicamento efficaci dato protinus, velut præſenti numine, omni dolore periculoque liberatos: propterea neceſſum eſſe tandem poſt derelictos ægros à Medicis rationalibus, non denegari iis, aut aſtantibus conſanguineis & amicis remedium, quod potius voluerint experiri, quàm nullum, modo ſit per ſacros Præſules liberum & conceſſum. Quod Ludouicus XIII. Rex iuſtus iuſtum cenſuit, permitti ęgris ſuis aulicis, ne vllos aſtantium remedij alicuius omiſſi pœniteret: quanquam certò ſciret, non niſi in repentinis & ſubitaneis grauiſſimorum morborum inſultibus, ab oppreſſione ſumma virium obortis, captandam eſſe hanc extremorum & efficacium remediorum vacuantium opportunitatem, & in iis ſolis omiſſionem ſolam eſſe damnandam, eiuſque ſolius reparandæ ſpem eſſe extremo remedio iure recreandam & gratificandam, quæ longis morbis minus liberè concedi debet, in quibus à priuatione ad habitum, phyſica virtute, non datur regreſſus, ſed ſola

metaphysica diuina : Extra quam quicumque tentare & periclitari voluerit, æquum esse ducebat, ignorantiæ suæ crassæ & stultæ temeritatis pœnas luere, qui ægrum sua sorte perire noluerit, sed suo maluerit pharmaco: & leuem saltem illam Monspeliensem antiquam impostoribus empiricis irrogari castigationem. Sed de iis pauca, cum de aulicis ægris & medicis agemus.

Quarta fuit obiectio Politicorum, intempestiuum nunc esse post seriem tot sæculorum, veteres Hippocratis refricare querelas, iam præscriptas & vetustate exoletas, ad quas inutilia sint remedia omnia, quia sunt inemendabiles & in habitum naturalem transmutatæ ineluctabilem. Sic Ecclesia tolerat hæreses & atheismos, sic forum suas præuaricationes, sol suas nebulas, facies formosa suos næuos: cur non etiam Medicina ferat falsos Medicos, Empiricos, Politicos & ministros ad suam maiorem gloriam? An non opposita contraria magis elucescunt? Addunt insuper:

Si noua fieret ad Medicos administrationis suæ disciplinæ medicæ transmissio, an non sequeretur innouatio repentina, & ciuilium rerum conturbatio, cuius ab omni memoria cum rebus medicis est connata connexio? Et forsan errores sequerentur prioribus peiores?

Sed vt exemplis, sic rationibus istis non dimouemur: Sic vitia virtutibus opponere, non esse vitia emendare, dicimus: monere esse breuia & syrtes, non esse pericula declinare & vitare: Ita etiam ea quæ Ecclesia & forum ferunt damna & incommoda, nihil afferre opis & medelæ ad salutis & hominum detrimenta & discrimina quotidiana, non suppeditare aptos cautionum modos & conuenientia subsidia.

An ſatis eſt ſtatuere, ſuam eſſe cuique materiæ apparandæ artem particularem & proprios artifices peritos, qui toti in ea verſentur, niſi etiam ſanitati & vitæ hominum tuendæ ſua ſit ars particularis, & periti in ea verſati particulares Medici & Iudices, vt in aliis cæteris?

Sed inueteratum malum longiſſimi temporis præſcriptione factum eſt immedicabile. Quaſi verò quæ malè fiunt, ſemper malè fieri debeant. Errores, cædes, veneficia ſemper ſint ferenda, quia ſunt inueterata: ignorantia & improbitas nunquam ſit emendanda per ſcientiam & probitatem, vitium per virtutem, feritas per manſuetudinem, quia ſunt hæc diuturna & conſueta? Quorſum Reges, leges, Iudices inſtituti, niſi vt vitia & maleficia coërceantur, & ad normam fidei, veritatis & iuſtitiæ, nulla longiſſimi temporis exceptione & acceptione reducantur? Quis æquus æſtimator rerum prauæ conſuetudinis & moris vitioſi reformationem in vtroque foro dixerit eſſe formidabilem, prauitatis, vitiorum & maleficiorum correctionem eſſe in reipub. ordinum conturbationem & ſubuerſionem?

Cùm delicta & crimina quæque quotidie Iudices caſtigant, & pœnarum diuerſa ſupplicia pro criminum grauitatibus decernunt, & quo diutius ſunt contracta vitia, in ea ſeuerius animaduertunt, vt cæteri à ſua pertinaciori & longiori conſuetudine deterreantur.

An ergo quo inueteratior eſt mali moris prauitas, vitium imminuet, cum potius crimen adaugeat, grauius reddat; & ſeuerius ſupplicium promereatur?

Vtinam vero ſupremus ordo Senatorius, qui nuſquam non ſalutariter & iuſtè in gratiam ſanitatis hominum

minum publicæ & ordinis Medici rationalis pronunciauit, sicut quotidie Prætoriana & inferiora iudicia emendat & rescindit, quæ iudicat iniusta: tantum abest vt iustitiæ ordinem conturbet aut euertat, vt reip. tranquillitatem potius conseruet, retineat & cuique quod suum est proprium distribuat, & iniuriam omnem propulset: Ita etiam ea iudicia Politicorum, quæ in rebus, personis, actionibus & operibus medicis quotidie redduntur, interciperet, rescinderet, & decerneret, ne amplius suo exemplo de rebus & personis sibi ignotis vlla in posterum darent iudicia medica, nec sua licentia tot impostores medicos & ministros ad necem & ruinam sanitatis & vitæ hominum cuiusvis conditionis & professionis, summorum, minorum & mediocrium admitterent, & iudicia illa à solis in arte peritis & probis reddi pronunciarent, nec vnquam ab inferioribus profanis artis iudicibus quidquam, quod ad disciplinam medicæ professionis spectet, determinari mandarent, & licentiam Politicorum tantam pœnis congruis tot criminibus & maleficiis quæ inde enascuntur, coërcerent.

Fatemur quidem in omni re iusta semper aliquid esse de iniquo, quod vtilitate publica compensetur: illudque tolerandum esse, ne quid deterius ex emendatione contingat. Sed in hac re de qua agitur, nihil est quod non sit iniustum & iniquum, quod non sit omnino emendandum, castigandum & delendum: nihil in ea non vtile, salutare ac planè necessarium sperandum & procurandum, nihilq; quod in genere & particulari quidpiam iniuriæ, damni & incommodi afferre possit, quod nemo æquus non iudicauerit.

Quid ergo voluerint amplius Politici, tot conuicti rationibus & authoritatibus, nisi vt, nomen omne veritatis & rationis Medicinæ extinguatur, nulla assignentur naturarum, causarum, morborum, partium, remediorum, symptomatum & aliarum rerum, personarum & circumstantiarum essentialium discrimina, nullæ sint disquisitionum, dignotionum, prædictionum & curationum rationes: nulla temporis, quantitatis, qualitatum, modi, methodi & remediorum consideratio, proportio, delectus, præparatio: nihil arte & iudicio ad æquilibrium iustitiæ æstimetur & præscribatur, omnia potius aleæ fortunæ & ludibrio ventorum, velut Sibyllarum responsa, subijciantur & exponantur, velut tali aleatoribus in omnem euentum proijciantur, fides ignorantiæ, erroribus, falsitatibus & fraudibus adhibeatur, vrbes & aulæ Regiæ multitudine desipientium & decipientium impostorum & grassantium repleantur, interitus, nomine Medicinæ, Regibus, Principibus, magnis viris & omnibus, cum summa licentia & impunitate, procuretur: qui veluti furiæ inferni quoquoversum discurrant, quibus certa vitæ adimendæ pericula, velut naufragis, sine vlla extrema tabula, parentur?

Mirari enim subit, cùm sit nemo in hoc Regno, qui non videat diciplinam cuiusvis professionis vel minimæ à peritis artis solis iudicibus administrari, tanta tamen fuerit ab omni memoria rerum & personarum obliuio, (vtar Imperatore loquar) vt medicæ professionis nulla er proprios suos peritos artis & probos Medicos de sis rebus reddantur iudicia, quæ sint æqua; sed à soli profanis & ignaris, quæ sint iniqua. Et cur Politici ignari rerum, personarum & operum Medicæ professionis ab Hippocrate postulati crimi-

num despectæ Medicinæ, offensæ salutis publicæ & priuatæ, necnon perditæ tot mortalium vitæ per licentiam & indulgentiam falsis medicis concessam faciendæ in vrbibus Medicinæ, quos à veris & legitimis discriminare nesciunt: tandiu sacris istis medicis ab initio sese immiscere non erubuerint dijudicandis & tractandis, & tanto veterno soporati, in ea mentis cæcitate & rationis priuatione tandiu inueterauerint, vt à tot sæculis, quamquam moniti sæpius & suscitati, nihilominus ad veritatis, scientiæ, conscientiæ, rationis & officij sui lucem oculos non aperuerint, sed semper in hac professione falsa, incerta, dubia, occulta, iniusta, fortuita, temeraria, insalubria, irrationalia, fatalia, ac morbifera veris, certis, claris, manifestis, iustis, consultis, rationalibus, salutaribus & beneficis præposuerint, & obstinatissimè in capitali sua inscitia præuaricationis, erroris, damni & noxæ tam mortiferæ obfirmatissimi perseuerauerint, & ipsos etiam aulicos in istam secum inscitiam & nequitiam vtrique curiæ, aulicæ & senatoriæ, ordini cuique & conditioni, ipsis etiam Maiestatibus ominosæ & insidiosæ, pertraxerint.

Necesse profecto est, si quis supersit iis sensus & rationis alicuius igniculus & scintillula, vt aliquam proferant suæ tarditatis aut stupiditatis remoram, aut verisimilem causam proferant, quam comminisci mihi non licet probabiliorem aliam, quàm quod forsan legerint, Legislatorum quorumdam fuisse consilium & decretum, vt Politici salutis publicæ curam haberent, vnde sibi iura de rebus, personis & operibus medicis iudicandi tribuerint, & excusationem, aut etiam abolitionem criminum sibi imputatorum sumpserint. Sed dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

hæc à Legiſlatoribus ad excuſationem legerunt & mutuati ſunt, ab iiſdem etiam diſcere debuerunt, ad accuſationem ſuam ſcriptum eſſe ab iiſdem Legiſlatoribus, credendum eſſe ſolis in arte ſua peritis & probis: idque tam generale eſſe decretum, vt à nullis gentibus non ſit receptum & obſeruatum: & id ſpecialiter à Philoſopho probatum axioma, per exemplum à Medicina ipſa depromptũ, τῶν ἰατρῶν εἶναι διδόναι τὰς εὐθύνας ἐν ἰατροῖς. Secus enim, quæ abſurda inde naſcerentur? omnia eſſe in omnibus quærenda, emungendum eſſe aliquid ab iis, qui nihil habent & poſſident, ab extraneis & heterogeneis cauſis effectus prodire poſſe congeneres, non degeneres; à ſeruis naſci liberos, & vice verſa. Sic à fabris non eſſe tractanda fabrilia, nec à Medicis promittenda medica, ſed à profanis, & extraneis, non initiatis ſacris Medicinæ myſteriis: ſic ab ignaris vera, certa & recta de rebus, perſonis & operibus poſſe dari iudicia. Quæ ſumma eſſet rerum omnium confuſio & ordinum omnium extrema ſubuerſio.

Abſit ergo, vt hæc fuerit Legiſlatorum ſententia, qua Politicis de rebus ſibi ignotis Medicos inquirere, examinare, ſtatuere & iudicare primariò voluerint, ſed ſolùm ſecundario: poſtquam ſcilicet Medici periti & probi, in arte medica verſati & conſummati, quæ vera, certa, recta & iuſta prius determinauerint, eadem tunc debeant à Politicis, poſtremo iudicio, diligentiſſimè obſeruari & perfici.

Fatemur quidem, veteres Politicos, qui erant ante tempora Hippocratis, & antequam rationalis Medicina ab eo deſcripta eſſet, vt in communi vſu exerceretur in populo; eſſe minus increpandos & culpandos: Sed poſteriores nulla venia cenſemus dignos eſſe, quibus Medicina rationalis tam cognita

esse potuit, quàm Iurisprudentia, quàm Codices & Digesta sua, si pariter in vtriusque studia incumberent, vt rectè de vtraque iudicarent.

Cum enim exorta rationalis Medicina quamprimum Empiricam, quæ antea communiter vsitabatur, antiquauit & obliterauit: cur instantius & vlterius Politici de rationalis Medicinæ rebus, personis, & operibus iudicare perseuerauerunt, quarum ignari prorsus erant? An rei incognitæ vera & recta possunt reddi iudicia? Certè verè dictum ab Hippocrate, ἀμαθίην esse θρασύτητος τιθήνην, ignorantiam audaciæ, confidentiæ, impudentiæ & temeritatis esse matrem: ideoque Politicos potentiores hanc semper iudicandi potestatem & authoritatem sibi ambitiosius, confidentius & audacius arrogauisse, & Medicos in iis solis, quæ erant sua priuata benè discendi, docendi, prædicendi, conseruandi, curandi, & operandi munia se continere maluisse, quàm cum potentioribus & audacioribus Politicis altercari, & de iure suo iudicandi in sua professione contendere, diffidia inter ægrorum morbos & naturas contraria componere & dirimere maluisse, quàm externa cum Politicis & Medicis affectare & persequi litigia; exinde licuisse Politicis, licet cum magno sanitatis & vitæ dispendio, latissimè & iniustissimè fines suos extendere, nemine, nisi sola eorum conscientia, ignorantia & iudiciorum prauitate, sibi ipsis reclamante.

Quid enim durius & grauius ipsis esse deberet, quàm scire se temerario & infrunito suo iudicio, de rebus, personis & operibus medicis, ignoranter & manifestè contra salutem publicam, non modò turpissimè errare, sed etiam peccare grauissimè, & diuinis legibus atque ciuilibus, & humanæ societati &

ſecuritati aduerſari? inhumaniſſimè & immaniſſimè hominum vitæ inſidiari? eadem eſſe, ſuis iudiciis nocere; atque ægris laqueos inijcere ſeu ſcandala, ad quæ offendant & pereant, nempe veneficos & ſicarios in ciuitatem & vtramque curiam introducere, qui obuios quoſque venenent & confodiant? An non per ſe facit, qui per alios? An non reus eſt noxæ, qui nefarios excipit & ſuſtinet? Quales ſunt poſteriores Politici & aulici, qui tantas ſtrages ciuium faciunt per ipſos falſos medicos & empiricos, quos nullis iudiciis, teſtimoniis, probationibus certis, ſed prauis iudiciis ſuis, & commendationibus ſuſpectis, inſidioſis & fallacibus, in aulam, in vrbem, in ædes priuatorum quotidie immittunt?

Nemo non mirari poteſt, quo modo in humanis iſtis & frequentibus tot ægrorum & ſanorum cędibus non erubeſcant & inhorreſcant timore & tremore tot criminum ſtupendorum, niſi forſan coacti rationibus hiſce & aliis dicant, non tam ſe inſanos eſſe, vt eorum quæ ad Medicinæ ſcientiam & doctrinam ſpectant, iudices ſe profiteri velint, ſed eorum ſolùm, quæ ad profeſſionis diſciplinam & legum ſeu ſtatutorum obſeruationem, quorum Medicos ineptos eſſe, veros & legitimos iudices obiiciunt.

Sed retorquendum contra eos, ſi qua ratione quod æquius & melius concipiant; cum ea quæ ſunt politiæ & diſciplinæ medicæ, tam generalia quàm particularia, tota ſint intimis doctrinæ penetralibus immerſa, & ab iis pendeant & proficiſcantur, nec aliunde deſumenda & depromenda ſint, ſeu ea ſpectes, quæ pertinent ad documenta & pręcepta iuſtè mandanda & imperanda, ſeu ad ea, ſicut par & æquum eſt, operanda & exequenda, ſeu ad leges & ſtatuta fideliter ſeruanda, ſeu ad ea pro opportunitatibus & cir-

cumſtantiis variis eſſentialibus innouanda, antiquanda, corrigenda & ferenda: ſeu ad profeſſionis difficultates, & diſſenſiones inter ipſos Medicos architectonicos, conſulentes, operantes ſeu medentes, & inter miniſtros atque baccalaureos, ſeu omnium inter ſe, dilucidandas, diluendas & diſſoluendas: ſeu ad regulas, officia, munera, opera, maleficia, fraudes, merita, honoraria, pœnas, in diſcendo, docendo, demonſtrando, interrogando, reſpondendo, medendo, operando, probando, iudicando, promouendo, exercendo, quales ſe in iis gerent Politici? An in iis ſe dicent aptiores, qui eorum ſunt omnino ignari & noui? Qui cùm vix in ſua profeſſione inſtrumenta ſciendi prima cognoſcant, & ſecundùm ea iudicent: quo modo rectè cognoſcent & iudicabunt in aliena, & maximè in Medicina tam abſcondita vulgo, & tanto iudicij & ſolertiæ examine exercenda & facienda, vt ſit ſalutaris & innoxia?

Quinetiam ſi in aliis profeſſionibus & artibus omnibus, quibus ſuæ ſunt leges & Iudices priuati, periti artis & probi, de earum diſciplina Politici non iudicant, ſed propter politiam & diſciplinam ſunt primo potiùs inſtituto creati periti artis quàm alij; Cur ad diſciplinam medicam non erunt periti Medici potiùs etiam recipiendi quàm alij profani?

Poſtrema demum obiectio Politicorum eſt, Medicos veros diſſidere, diſſentire & digladiari aſſiduè inter ſe, vixque vnquam de veritate conuenire: vnde inferunt, artem medicam rationalem incertam eſſe totam & fallacem. Ergo etiam ſic de fide, de Iuriſprudentia, & de cæteris inferent. Fideles Chriſtiani contra Paganos, contra Atheos, contra Iudęos, contra Hęreticos, quinetiam Thomiſtæ contra Scotiſtas, Molinæi contra Janſeniſtas decertant.

Ergo fides & Religio Christiana falsa est, incerta & fallax. Iurisconsulti Sabiniani contra Proculeianos: Galliæ pars vna iure Romano scripto, pars altera non scripto, sed consuetudinibus & Regiis constitutionibus vtitur: Prouincia vna suam habet consuetudinem & mores proprios, altera contrariis regitur & gaudet. Ergo iustitia falsa, incerta & fallax. In Scholis Sorbonicis de rebus Theologicis assiduè disceptatur: In Scholis Iurisconsultorum de Iure: In Medicis de rebus medicis. Ergo Theologia, Iurisperitia, & Medicina, falsæ sunt, incertæ & fallaces scientiæ, atque adeo reijciendæ.

Distinctio hæc Politicis satisfaciet. Nunquam de principiis generalibus, communibus & vniuersalibus fundamentis & præceptis artis, inter peritos artis, disceptari, de quibus non tantum inter eos, sed etiam inter extraneos quosvis, & gentes omnes conuenit: sunt enim notiones communes tam sempiternæ veritatis, vt ab omnibus probentur: Sed de particularibus tantùm, à communi consensu remotioribus & reconditioribus in penitissimis naturæ recessibus & latebris, quæ solis sunt sapientissimis & sagacissimis ingenijs peruia, aut per causas particulares proximas & coniunctas vniuocas, aut per multas obseruationes experimentorum, semper & eodem modo habentium. Sic Medici de particularibus, mineralibus aquis, stibij pręparationibus & alijs particularibus in scholis & apud ægros disputant, quæ tamen aut plurium sapientiorum sententiis in iis quæ per causas perquiruntur, aut optimus medendi magister vsus in iis quæ per effectus, probabunt aut improbabunt: adeo vt in istis hoc maneat certum & indubitatum, non esse artis vitia, sed hominum, quibus τὸ ἀκριβὲς, ad quod dirigit Medicos Hippo-

Hippocrates, non ſemper eſt accuratè perſpectum & obſeruatum, ſed vt ad illud quam proximè accedant, hortatur; à quo tam longè recedunt in doctrina falſi Medici, empirici, miniſtri & Politici hodierni, quantum à ſapientibus plebeij & ignari: qui tam nati ſunt ad deſtruendam, quàm illi ad tuendam & reſtituendam ſanitatem publicam & priuatam.

An ergo reſtat aliquid Politicis, quòd à confeſſione ſuorum criminum eos remoretur? Non video. Niſi forſan ſibi fingant ad ſuum ſolatium hoc effugium, omnia quæ ſibi obiiciuntur, eſſe ſibi & ſupremis Maieſtatibus, Pontificibus & Magiſtratibus communia; nempe Medicinam rationalem omnibus iis ac ſibi pariter incognitam. Eos ergo ſimiliter eandem iniuriæ publicæ incurrere ſecum accuſationem, eadem vitiorum & maleficiorum damnari conſcientia & conſortio, eandem etiam pœnarum, ſi quæ debeantur, participationem promereri, quòd toties & tamdiu poſterioribus ſæculis moniti ſunt de aſſiduis & manifeſtis per falſos Medicos & profanos artis iudices, ignaros ſanitatis & vitæ hominum, cladibus & damnis nullam medelam adhibuerint. Quòd leges iuſtas & proprias ab initio, & iuſtos ac proprios iudices artis profeſſioni non creauerint & præfecerint: cum tamen aliis reip. ordinibus & profeſſionibus vel leuiſſimis & infimis, etiam voluptuoſis & parum neceſſariis, non defuerint: Quòd præter illa prima iniuſta ſtatuta & iudicia, ſaluti & vitæ hominum inſidioſa, iniurioſa & valdè damnoſa, alia poſtea ſucceſſerint peræquè praua aut peiora, quæ ſunt hodie à peritis & probis artis, ſapientioribus & peritioribus reprobanda, & æquiora ac ſalutariora in eorum locum ſubroganda & reponenda, de quibus ſæpius ad-

moniti, attamen ea ſemper neglexerint: ideóque idem dici poſſe de hac Medicinæ rationalis profeſſione, quod à Regio Vate dictum eſt de diuino cultu & morum prauitate antiquarum gentium; Deum proſpexiſſe de cælo ſuper filios hominum, vt videret ſi eſſet intelligens, aut requirens Deum: omnes declinauiſſe, ſimul inutiles factos eſſe, non eſſe qui faceret bonum vſque ad vnum. Ita etiam huiuſce medicæ profeſſionis omnes inſcios, nullos intelligentes, nullos ſollicitos eius & cupidos, quia ignoti nulla cupido.

Ne verò nomine Politicorum inde voluiſſe Majeſtates illas Regias, Pontificias, Conſiſtorianas & Senatorias ſupremas complecti nos inſimulent, & velle etiam nos eorumdem criminum cum Politicis, artis profanis iudicibus, eas facere conſcias, conſortes & reas: palam profitemur iuſtiſſimis, quas proferemus, rationibus, nos non eas tantum comprehendere, ſed etiam alias Synagogas, academicas, canonicas, ciuiles, eccleſiaſticas, militares, medicas, quæ ſint vnius moris, vt loquitur Regius Vates, vnius corporis, vnius ſpiritus, vt ait D. Paulus; quæ ſint vocatæ in vna ſpe vocationis, vnius conditionis, profeſſionis, officij & exercitij, quas vult Deus vnanimes habitare in domo ſua. Sunt enim multæ in domo Domini manſiones, & officia; quidam Apoſtoli, quidam Prophetæ, quidam Euangeliſtæ, quidam Paſtores & Doctores: ita in ciuili ſocietate Synagogæ ſunt multæ, quibus promiſit Deus, quotieſcumque duo vel tres conuenerint in nomine ſuo, ſe in eorum medio pręſentem affuturum, & ſtaturum, ſuum ſpiritum & intellectum impertiturum, vt ſemper benè agant & iudicent, nec

vnquam errent : nequaquam verò comitiis iis, quæ sunt moris diuersi, officij, exercitij, conditionis, professionis ; quorumcumque ordinum, politicorum ; clericorum, laicorum, militarium : quorum non possunt non esse temeraria, incerta, falsa & noxia iudicia, sine causarum notitia, iudicio & arte reddita, quæ potiùs *tolle, tolle*, clamitant, quàm *viuat* : quæ vt Barabbam anteponunt Christo, saluatori animarum : sic etiam in Medicina empiricum & falsum medicum præferunt rationali & vero salutari medico, & de rebus, personis, actionibus & operibus medicæ professionis malè statuunt : Nos posteriora hæc comitia à prioribus Synagogis, longissimis interstitiis distantia inter se, vt extrema ab extremis separamus.

Vt autem clariora sint hæc, & qui sint accusandi, qui excusandi manifestius innotescat, dicimus inter homines in vniuersum, & inter particulares vnius eiusdemque professionis artifices magnas esse differentias, pro variis naturis, constitutionibus, conformationibus internis corporum, partium, humorum ; ex variis externis aquarum, aëris, terrarum & diætæ legibus ; ex varia institutione, efformatione, eruditione & peritia in artibus & disciplinis humanioribus ; ex educatione, conuersatione & commercio animorum, maximè vero ex singulari Dei beneplacito & spiritus diuini atque gratiæ concursu, facultates, affectiones, actiones & mores hominum multùm variare, & mille hominum species enasci : cumque eadem sit rationis humanæ, quæ aliarum actionum constitutio, & consideratio, sitque licet hominibus omnibus essentialis ratio concessa : non est tamen omnibus æqualis ratiocinandi, intelligendi & iudicandi facultas, vt non sunt omnibus æquales aliæ

agendi facultates; animales, vitales & naturales.

Sunt enim quibuſdam tam ſubtilia, ſplendida, fortia, & ſolida à natura ingenia, aut ſapientia, prudentia, peritia, cultu, arte, tam manſueta, obedientia & benè præceptis omnibus diuinis & humanis obſeruandis comparata & apta, vt proximè ad eos primos artium authores, qui in cælis locum habere promeruerunt, accedant.

Sunt etiam quibuſdam tam craſſa, obſcura, & infirma principiorum ſui corporis, mentis & animi lumina, tam ſtolida, inſipientia, imprudentia, agreſtia & irrationalia ratiocinandi, intelligendi, iudicandi, & quoquo modo agendi principia & fundamenta, vt à brutis non longo ſpatio diſtare videantur.

Multæ ergo inter hæc extrema interiacent differentiæ. Multis æquior, aut iniquior, aut inuita prorſus eſt Minerua, in inſtitutione captanda, in diſciplinis capeſſendis, in dandis & recipiendis conſiliis, in diſcriminandis ſimilibus, in veritate inueſtiganda.

Poſtquam igitur cauſas eas, per quas ſuam Politici tot malorum culpam prætexere ſe poſſe, & euadere vellent, quomodocumque refutauerimus, quem locum in hoc ordine obtineant Reges, Pontifices, Facultates, Politici, aulici, falſi medici, empirici, miniſtri, profani artis & vulgares omnes, referemus.

Vt ergo omnis tollatur occaſio dubitandi & ambiguitas, ex cauſarum natura diſtinctionem hanc præmittimus, qua dicimus, alias eſſe vniuerſales, remotas, communes, & externas: alias particulares, proximas, coniunctas, internas, proprias & per ſe, non accidentarias, non heterogeneas, non æquiuocas, ſed congeneres, ſed vniuocas, ſed poſtremas, quas Medici potiſſimum, vt effectuum cauſas prima-

rias,proximas & prçcipuas quærunt, inueſtigant & conſtituunt.Quæ cum ſint intimis & infimis reconditæ receſſibus & latebris penitiſſimis, medicæ profeſſionis ſolis in arte peritis perſpectæ, ab iis etiam ſolis deſignandæ ſunt, cum iiſdem ſolis ſua ſint aſſignanda remedia, quibus euerſis & ſublatis reliquæ aliæ, nullis adhibitis remedijs, diffugiunt & reſoluuntur.

Falſos ergo Medicos & Politicos, cum Hippocrate,cauſas eſſe proximas per ſe,proprias, particulares, vniuocas & definitas læſæ ſanitatis & vitæ hominum atque Medicinæ rationalis dejectæ declarauimus; reliquas verò eſſe tantum remotas, vniuerſales, communes, accidentarias, concurrentes, externas & extraneas, indefinitas & indeterminatas aſſerimus: nempe ſummos Pontifices,Reges & Magiſtratus,ad bonum & ad malum indiſcriminatè paratos, qui per ſolas particulares, internas, vniuocas cauſas determinantur ad bonum generandum, ſi bonæ ſunt; ad malum,ſi malæ;ad verum, ſi veræ; ad falſum, ſi falſæ.

Sic ergo per falſos Medicos & Politicos determinati ſunt Reges, Pontifices & Magiſtratus togati & torquati ſupremi, ipſæque etiam Facultates Medicæ ad ferenda & ſuſtinenda mala & falſa multa ſtatuta, leges & iudicia in ruinam ſalutis & vitę hominum ſanorum & ęgrorum, ad quę abroganda hodie à peritis & probis poſterioribus, qui facti ſunt cum tempore ſapientiores, reprobanda ſunt, & meliora atque ſalutariora in eorum locum reponenda.

Cumque etiam dixerimus ſupra,cum primum bella ſedata ſunt,quibus Europa tota diutiſſimè conflagrauerat,& Medicina ab Arabia,ad quam effugerat, corrupta & peruerſa tota reuerſa eſt, ſecum etiam

ignaros & falſos medicos Arabiſtas, Semidogmaticos reduxiſſe, per quos ſummi Pontifices, Reges, Magiſtratus miſerè decepti ſunt. Quia cum eos credidiſſent legitimos eſſe Hippocratis hæredes, ipſis Facultates filias ſuas, bona fide, tanquam dignis profeſſoribus, qui Gręcis antiquis pares eſſent, collocauerunt: ſicque Medici illi degeneres & immeriti, Pontifices, Reges, Magiſtratus & ipſas Facultates ad malum quod contraxerant, pręter ſpem & expectationem eorum, determinauerunt, & ab iis ſtatuta praua & peruerſa ab initio obtinuerunt, quibus poſtmodum deteriora multa noua ſucceſſerunt.

Non ſunt ergo Pontifices, Reges, Magiſtratus & Facultates cauſæ primariæ, per ſe & vniuocæ, ſed accidẽtariæ & remotæ, publicæ calamitatis læſæ ſanitatis, vitæ hominũ ereptæ, & medicinæ rationalis deſpectæ: ſed Medici illi mẽtiti & perſonati Arabiſtæ, Semidogmatici, quæ Facultates ad hæc poſtulanda & obſeruanda praua ſtatuta determinauerunt, quibus Politici, falſi rerum & perſonarum medicarum judices, vt pares paribus, ſeſe facilè ſocios adiunxerunt: qui hactenus per multa ſecula in vrbes impoſtorum omnigenam turbam, cum ſumma licentia & impunitate, ad enecandos ægros, introducere non deſierunt: & eam, quam hodie fateri coguntur culpam capitalem & iniuriam publicam, in Pontifices, Reges, Magiſtratus & ipſaſmet Facultates reiicere & retorquere, eoſque criminum ſuorum reos omnes & conſortes pariter facere vellent.

Sed cum hodie Pontifices, Reges, & Magiſtratus ſupremi videant inertes, ignauos & impotentes fuiſſe Medicos illos, quibus ſtabili connubio ſuas deſponſauerant Facultates: ipſæque etiam Facultates videant, ſe per infames eos vi-

lis ſortis & ſeruilis conditionis, ignominiæ & infamiæ factas fuiſſe participes, ſeque per eos medicos & per fraudulenta & imparia coniugia à ſua ſtirpe Pontificia & Regia multum defeciſſe: nihilq; aliud expetant omnes, quàm vt in antiquam nobilitatem, dignitatem, maieſtatem & gloriam Regiæ ſuę ſtirpis & Pontificię proſapię, per egregios Medicos ab Æſculapij & Heraclidarum familia, qualis fuit Hippocrates, prognatos, ingenuos, ingenioſos, in profeſſione rationali ſapientes, prudentes, conſummatos & expertos, antiquis eruditione, virtutibus & meritis ſimillimos, redintegrentur.

Cumque nihil etiam Pontificibus, Regibus, Magiſtratibus, Facultatibus & Medicis veris tam ſit glorioſum, honorificum & neceſſarium, quam quod eſt omnibus ſalutare; nihilque tam aduerſum & odioſum, quam quod eſt inſalubre, noxium & mortiferum: propterea ſummè etiam exoptent totam profeſſionē in antiquam perfectionem regenerari, & reformari, & publicam ſalutem per Medicinā rationalē reparari: nihilque iudicent iniquius, intolerabilius, irrationabilius & periculoſius, quàm tentare incertò, temerè, fortuitò & ſorte, quod ratione, cauſarū verarum notitia, & iudicio certo remoueri & ſanari poteſt; proptereaque in gratiam ordinis Medici & Facultatis Pariſinæ nuſquam non fauorabiliter Curia Senatoria pronuntiauerit, fuerintque ſemper illi ingrata falſorum Medicorum exercitia, & Politicorum de rebus, perſonis, actionibus & operibus ſibi ignotis iudicia, quæ non potuerint non eſſe iniqua, falſa, noxia, pernicioſa, quia ſine vlla cauſarum generalium & particularium perſpicientia decernuntur.

Cumque ſciant multa in vniuerſalibus propoſitionibus eſſe, quæ fronte & ſpecie prima videntur

vera & rationi consentanea: in particulari verò si exactè à peritis examinentur, iniusta, falsa & aliena à ratione inueniuntur & iudicantur, eaque semper ad peritos artis antè examinanda & discutienda remiserint, prius quàm de iis quidquam statuere voluerint, ne de rebus sibi incompertis falsa redderent iudicia. Quod tamen Politici nunquam fecerunt, sed quo iure, quaue iniuria de rebus & personis medicis semper determinauerunt.

An non ergo Politici illi particulares suppositi & singulares, quotquot sunt è vulgo, vt falsi omnes medici, empirici, & profani, ignari, natura & arte, moribus & vita incompositi, qui de rebus, personis, actionibus & operibus temerè iudicant, sunt in extremo & infimo loco ordinis imperfecti à nobis propositi collocandi? Et Reges, Pontifices, Magistratus supremi, Facultates & Medici rationales legitimi, qui nihil nisi iudicio, consilio, arte, ratione, causarum notitia, intellectu & spiritu diuino aggrediuntur, suscipiunt, definiunt & iudicant, in primo ordine perfectionis computandi, atque ideo à Politicis & cæteris aliis ignaris rerum medicarum omnino sejungendi, vt sint tanto altius illi extollendi & venerandi, quanto sunt hi humilius deprimendi & vituperandi; qui tam impudenter illos ausi sunt eorumdem suorum maleficiorum facere conscios, consortes & reos, & earumdem pœnarum prodere participes?

Quid? Reges, Pontifices supremos, Facultates & iustitiæ proceres, tam iniuriosè affici, vt sint causæ malorum professionis medicæ?

An Reges & Pontifices non solent in rebus seriis sæcularibus animorum in re quaque & materia de qua agitur, prudentium, peritorum & optimorum

quærer-

quærere ac ſequi conſilia?

Reges quidem ſupremi ſui Senatus, torquatorum & togatorum prudentiſſimorum, & integerrimorum in throno iuſtitiæ ſedentes audire geſtiunt de pace & bello & magni momenti rebus grauia rationum oracula, rerum militarium à Polemarchis ſuis, de belli materia, cauſis, mediis, apparatu, & euentu auſcultare ratiocinia: Cur non de rebus, perſonis, actionibus & operibus medicis delectentur etiam veritatem & certitudinem ſalutarem à ſapientibus, peritis, & probis Medicis audire, iuxta præceptum diuinum, quo à Regibus donationem accipere iubentur? An falſa captarent ignorantium & imperitorum, tam pro ſua, quam ſubditorum incolumitate & vita, praua & temeraria conſilia & auxilia, quæ eſſent iniuſta, noxia & mortifera, cum nullæ ſint in totius Regni adminiſtratione res tanta dignæ cura & ſollicitudine, quàm Regum & ſubditorum ſanitatis & vitæ conſeruatio & cuſtodia?

An Reges aduerſarentur diuinis oraculis, quæ fœlicia illa regna proclamant, in quibus intelligentes multi dominantur & cum Regibus gubernacula poſſident, in quibus ſunt ſermones & iudicia intelligentium multorum iuſta & recta, in quibus ſcientia & iuſtitia multorum habitat, quibus ineſt ſapientia, eruditis præſidens actionibus & conſiliis? An beatas illas reſpublicas & artes eſſe nollent, in quibus ſemper dictum eſt, ſolos debere prudentes & peritos iudicare? An potius vellent eas eſſe fœlices, quæ prauis ignorantium, imperitorum, & ſtultorum opinionibus regerentur?

Pontifices verò quis audeat negare habere ſua Præſulum ſacra ſynedria, Apoſtolorum, Doctorum, Interpretum, Paſtorum, Patrum, Prophetarum in

opus ministerij sub capite Christo Domino, qui iis luce suæ claritatis præfulget, eaque diuini sui Spiritus replet afflatu?

An ergo Reges aut Pontifices possunt esse conscij, consortes & rei malorum medicæ professionis cum Politicis, qui nihil consilio per torum iudicant, sed inerti & temerario suo solo?

Certè quicquid Reges & Pontifices in omnibus ordinibus, quæ ad sæcularia & salutaria, bonorum fortunæ & animorum spectant, suis constitutionibus optimè constituerunt, illud ipsum in ordine medico benè semper etiam obseruandum curauerunt, & in hac professione nihil nisi peritorum & proborum consilio peragi religiosissimè præceperunt, vt tot damnis & criminibus finis daretur.

Vt autem quæ fuerint Facultatum studia, vt sese ab ignominia & deploranda sorte, in quam Arabistæ & Semidogmatici illi Medici eas coniecerunt, declaremus, vt ad dignitatem & nobilitatem originalem resurgant, atque etiam vt quæ supremi Magistratus habeant responsa, quibus Politicorum crimina reijciant, clarius enarrentur:

Primum quidem dicimus, Parisinam Facultatem, vt fuit reliquarum omnium parens, earumdem etiam voluisse primariam & præcipuam esse reformatricem. Siquidem eo tempore, quo Chymia, Pharmaciæ pars operatrix, minus sæculis anterioribus culta, minusque elaborata, suscitata est & tam exaltata per Paracelsistas, vt eam Medicinæ principi, velut ancillam heræ suæ, præponere velle viderentur: Parisina Medicos veros ad arma, tanquam pro aris & focis, ad tuendam rationalem Medicinam, concitauit, vnica classem totam Empiricam, Chymicam & Spagyricam, suo Hercule Polemarcho

Riolano, ſuſtinuit. Etenim licet ad idem ſecum bellum gerendum alias regni Facultates ſuis quoquouerſum ſcriptis & miſſis literis inuitauerit & ſollicitauerit, ipſæ tamen cum hoſtibus publicis manum conſerere & congredi ſimul cum ea, vt à ſuis ſcholis labem & corruptionem luis iſtius Paracelſicæ contagioſæ arcerent & procul eliminarent, detrectarunt, nec ad cauſam tuendam publicam concurrerunt: illa ſtetit ſine vllis aliis, quàm veritatis, ſubſidiis, fortis, victrix & indomita ſola de Paracelſiſtis, Chymiſtis, Libauiis, Quercetanis, Turquetis & aliis innumeris veritatis rationalis Medicinæ deſertoribus triumphauit, antiquam Hippocratis doctrinam, inquinamentis Arabicis fœdatam, repurgauit, impuritates & corruptiones doctrinæ & deprauationes atque peruerſitates diſciplinæ ingenitas & aſcititias expurgauit & emendauit. Methodum benè diſcendi, docendi, prædicendi & operandi, mentis & manus induſtria, peritia & exercitatione palam per ſuos heroas Medicos rationales præſtantiores & ſapientiores, quam ſuperiores Arabiſtas, expoſuit; præparantibus documentis ad ſcientiam tam ſublimem comparandam neceſſariis ſuos candidatos inſtructiores & ornatiores eſſe voluit, Hippocrati arte, iudicio, & opere ſimillimos, congeneres Archiatros, puræ doctrinæ, & diſciplinæ rectæ vindices & aſſertores formauit & fabricauit, pro conſeruanda ſuis Regibus, Præſulibus, Iuſtitiæ antiſtitibus, Politicis, popularibus & ciuibus ſanitate & vita aſſiduas operas & ſtudia fœliciter impendit, & laborauit: Theatrum anatomicum poſtremis temporibus, & officinas chirurgicas & pharmaceuticas, propriis inſtrumentis munitas & omni materia medica ſimplici & compoſita inſtructas conſtruxit; Profeſſores

ſimiliter & demonſtratores anatomicos, chirurgicos & pharmaceuticos; diſſecandi, coniungendi ſeu vniendi, diuidendi & extrahendi, ligandi, tergendi, deligendi, præparandi, miſcendi, componendi, conſeruandi& ſeparandi eſſentias medicamētorum exercitatiſſimos iis præfecit, qui benè operandi& præſcribendi methodum non ſolùm in genere, in ſcholis, & in officinis, ſed etiam in particulari apud ægros fideliter docerent, demonſtrarent & perficerent ſuos diſcipulos, candidatos & baccalaureos: vt quotquot vndique affluunt, perinde inſtructi ad benè mente præſcribendum, quam manibus ad operandum exercitati & formati, per vniuerſas Galliæ partes reſluerent & remigrarent, qui hæreditatem ſuam antiquam, iniuſtè vilibus & agreſtibus villicis commiſſam & relictam, miſerè deuaſtatam & deſtructam, incultam, infructuoſam & ſterilem recuperarent, & quæ non niſi horreſcit ſpinis, vepribus, aconitis & plantis mortiferis, deinceps ſalutiferis fruticaret & abundaret, lætiuſque omnia prouenirent honeſtis manibus, quia curioſius fierent; & olim vt gaudebat terra coli ab aratoribus triumphantibus & vomeribus laureatis: ſic Medicinæ horti Regij, officinæ, & medica ergaſteria lætarentur à colonis antiquis ſuis medicis curioſiùs, pro veteri more, veritate, officio, ſcientia, conſcientia, eruditione & peritia laborantibus, doctrinam repurgantibus & diſciplinam priſtinam ac Medicinam integram in ſuis partibus omnibus, ad normam Hippocratis, reformantibus.

Ne verò hæc oppoſita & aduerſa falſis Medicis & Politicis medela, falſa videatur, Politicos eoſdem teſtes proferimus, ſupremos Magiſtratus, vrbis Præfectos, Academicos ordines omnes, & D. (qui inſtar omnium eſſe poſſet) Archiepiſcopum Pariſ. totum-

que Clerum, quos singulis septimanis ad solennes actus inuitat, & sesquibiennio quoque ad apparatum Paranymphi, velut ad sponsalia, accersit, vt sint oculati omnes & auriti testes fidelissimi neophytorum, quos legitimis & iustis titulis & honoribus Paranymphi dignissimos & commendatissimos Facultas efformat, meritissimos, quibus se vrbis totius ordines, infimi, medii & supremi cum fiducia magna & securitate credere & confidere possint.

Cumque insuper nonnisi paucos per triennia quæque formet & sufficiat, non alio fine, quàm vt fidelius istud institutum erga suos ciues & populares declaret per pauciores, qui sint omnibus suis partibus perfectiores: non enim in alias vrbes ipsa è gremio suos, vt faciunt aliæ, transfert & ablegat.

Ipsa tamen quantumvis pro publica omnium salute dies noctesque laboret & vigilet, & quantum in se est propriis viribus mederi rationalis Medicinæ calamitatibus, maleficiis & damnis contendat: quia tamen sola rumpendis tot obicibus, & tollendis tot impedimentis quæ obstant & obsistunt, iniustarum legum abrogandarum, & iniquorum iudicum interdicendorum, & renouandæ totius medicæ professionis œconomiæ se imparem agnouit & persensit, inde æquissimas postulationes & rationes per Medicos egregios ad supremas potestates direxit & nuncupauit, vt per Regiam jurisdictionem, quæ nullis est vel infimis ordinibus in hoc Regno denegata, sua cuique legum & iudicum idoneorum propria iurisdictio, qua noua omnia antiquis fierent meliora, Medici sua certius, verius & rectius munia peragerent, & Medicæ professionis præ cunctis aliis veritas, iustitia & integritas, propter salutem & vitam hominum, in suo iure conseruaretur, vt

doctrina suis corruptionibus depuraretur, disciplina suis prauitatibus reformaretur, ignorantia omnis exularet, error omnis emendaretur; notitia & scientia per causas resplenderet, ratione & methodo omnis accurata curatio procederet, temeritas nulla reciperetur empirica, particularia omnia inuestigarentur ad benè medendum, ad quod nulla generalia sola sufficerent indefinita: regula omnis benè docendi, demonstrandi, discendi, prædicendi, medendi, operandi apud singulos ægros seruaretur: omnes præstigiæ magicæ, Astrologiæ futiles fallaciæ, formales & specificæ decipulæ abolerentur, sola mentis & artis industria & manus peritia in arte valeret, ad quorum œconomiam soli artis periti & probi proceres administrandam authoritate Regia præficerentur, falsitas demum omnis, ignorantia, error, vitium & maleficium in professione aboleretur.

Quia tamen Facultas vidit contra instituta, studia & curas suas per Politicos, Aulicos & vulgares penè singulos omnes, infœlicia lolia & aconita venenata, empirica scilicet arcana, & experimenta falsorum medicorum in agro medico plenius disseminari, in eóque abundantius germinare, & increscere, & rationali medelæ admisceri, ac veram suffocare sementem, nec vllam culturæ, operarum, & laborum, nullam postulationum haberi rationem, empiricam carnificinam pro medicina laudari apertius & anteponi, luem hanc per vniuersam Galliam grassari, per plateas, vicos & compita vrbium decurrere, & vsque in palatia regia & interiora cubicula transferri, & insidiosa vitæ pericula ordinibus omnibus, infimis, mediis & supremis, ipsisque etiam Maiestatibus Regiis & Principibus portendi forsan inopina & repentina, non potuit non inhorrescere, cum

animaduertit lupos rapaces & voraces in caulas & aulas, in luparas insilire, vt oues & pastores iugulent & deuorent; An potuit non agitari, non fremere, non formidare, ne terra nostra desoletur, nulla potestate auxiliatrice & vltrice?

Facultates reliquæ, non minùs quàm Parisina, & quàm ipse Hippocrates, de Politicis conqueruntur; quæ cum fateantur se ab ipsa quidem Parisina Facultate fuisse inuitatas, vt communibus armis concurrerent ad artem & salutem publicam à falsis medicis, Ministris & Politicis Iudicibus profanis & iniustis vindicandam, & in libertatem suam asserendam, ea solum ratione suas negauisse operas & militiæ suæ concursum, quod obseruauissent irrita fuisse studia, supplicationes & postulata Parisinæ, nec ei reddita responsa vlla: Ideoque cùm sese inferiores & prorsus impares agnouerint, quam vt per se opis & auxilij quidpiam afferre possent amplius quàm Parisina, deprecentur ab ea veniam, & doleant simul, quòd etiam Politicos habeant contra se totos aduersos & infensos, qui liberè profitentur magno omnium damno ad se spectare de rebus, personis, operibus & actionibus medicæ professionis, more suo, ab omni memoria inueterato, iudicare, nec vllo delectu, discrimine, examine, & titulis probationum, studiorum, tyrociniorum, magisteriorum doctoralium publicorum desinere, promiscuè quosvis excipere & admittere, tam falsos quam veros, tam inertes, imperitos & improbos, quam doctos, peritos & probatos.

Eamque esse causam, cur paucissimi Philiatri ad suas scholas & auditoria aduolent, aut si qui accedant, auditis tam longis studiorum & artium præparantium temporibus, tantis ad Medicinam capessen-

dam laboribus exantlandis,& velut fundamentis primùm ſtabiliendis; auditis tam multis ad eam intelligendam,& percipiendam documentorum& experimentorum difficultatibus; audita ad captandam occaſionem agendorum tam momentaneam, & ad iudicij ſoliditatem conſequendam, tantam animi ſagacitatem eſſe neceſſariam, tot vigilias ferendas, moleſtias tam duras deuorandas, concertationum, interrogationum, quæſtionum, probationum & teſtimoniorum ſuſtinenda eſſe diſcrimina, ſtatim à ſcholis, theatris & officinis medicis ſeſe ſubtrahunt, aut ſaltem vix bimeſtre compendiolum aliquod famelicum definitionum, & diuiſionum quarumdam generaliorum & communiorum excipiunt aut deſcribunt ex dictatis: mox etiam relicta rationali Medicina & partibus eius theoreticis & practicis, diæteticis, chirurgicis, pharmaceuticis, chymicis, methodicis neglectis, ad falſa, ficta & ſimulata Chymiſtarum vulgarium ergaſteria, ad vanas Paracelſiſtarum præſtigias, quiſquilias & nugas, ad magneticorum fabulas, ad arcanorũ figmenta, ad panaceas ſimulatas & imaginarias confugiunt, quas Politicis, Aulicis, vulgaribus omnibus, ſummis, mediis, infimis, rerũ medicarum ignaris gratiſſimas eſſe fallacias,& aucupia inſanorum, delirantium, credulorum eſſe ſciunt: Quibus ſatis eſt pro re ſpeciem, pro Iunone nebulam, aut pro pane vmbram, vt æſopico cani, proponi, aut ſimulari vellus aureum ab Argonautis ſubreptum, aurifodinas ex Ophir, aut fortunatis Inſulis eſſe delatas, aut ex remotiſſimis orientalibus plagis margaritas tranſvectas, aut ex auſtrali reginæ Sabæ regione pretioſiſſima eſſe aduecta, velut ex cornu copia locupletiſſima, ſupellectilia eſſe deſumpta exquiſitiſſima, velut ancilia cœlitus delapſa, ac demum myſteria

diuina

diuina ſanitatis firmiſſimè ſeruandæ, aut etiam immortalitatis comparandæ, quale promiſit Philoſophus tempore Galeni ſuis programmatis: quod ſit pro medico omni apparatu, pro quauis penu referti ſſima materiæ omnis exquiſitiſſimæ integrè tuendæ ſanitatis & morborum curandorum omnium, etiam inſanabilium: quod omnem ſuperet vſum & methodum Medicinæ rationalis & rationalium Medicorum: quod ſit pro omni arte, omni ratione, omni iudicio, omnibus ſtudiis, tyrociniis, teſtimoniis, probationibus & magiſteriis, pro omni doctorali laurea. Sic faſcinis iſtis ineſcant, ac figmentis paſcunt inanibus animos Politicorum, Aulicorum, vulgarium, & huiuſmodi indefinita, indiſtincta, indeterminata, temeraria, occulta, ſpecifica, ſi diis placet, ſympathica arcana decantata eos ita dementant, vt ſe ipſos & alios quoſvis repente eripi de vita lubenter & ſponte ſinant, nec curent vrbes ſuis nudari ciuibus, incolis & popularibus, hoſpitia ſuis ægris, caſtra ſuis militibus, plateas & publicas vias repleri præficis, valuas ædium ſacrarum externis atratas pannis, internis baſilicas obvolui, obvelari, denigrari ac tenebris inhorreſcere obſcuriſſimis, & denſiſſimis funeribus, & omnes ab aſſiduis carnificibus & veneficis mactari.

Cur ergo non luxerit Pariſina Facultas, non doluerint eius legitimi liberi ab antiqua & inueterata hac ignorantia, ineptia, ignauia, incuria, ignobilitate & vilitate falſorum Medicorum, & Politicorum profanorum, per peritos & probos naturæ & artis magiſtros digniſſimos non poſſe regenerari, nullum relinqui & dari ſibi liberum, ſuos ægros methodicè ſanandi, locum & modum ſecuritatis & temporis, quin ſtatim à ſuis rectis medendi legibus per Empiricorum & vulgarium & Politicorum imperio-

ſam & iniurioſam licentiam & credulitatem inſipientem auocentur, auertantur & deturbentur?

Cur non etiam gemuerint reliquæ aliæ Facultates, ſuos auditores nullis compedibus poſſe retineri, quin ſtatim Politicorum permiſſionibus licentioſis conceſſis, ad ægros, quod aiunt, gratis & officiosè trucidandos, mactandos & venenandos accedant? Si data tempore proſunt, & data non apto tempore vina nocent, & venena ſunt, an reliqua in manu empirica non ſunt venena?

An ergo dixerint Politici, Facultates & Medicos rationales, earum veros alumnos; & inter eas Pariſinam eſſe malorum ſuæ profeſſionis cauſam conſciam, conſortem & ream, & eam in infimo ordine cum vulgaribus, ignaris & profanis artis reponendam?

Superſunt ergo ſupremi Magiſtratus, maximè quidem Senatorij togati & torquati, à Politicorum calumniis & artibus malis liberandi, quos ſimiliter ſecum ignorantiæ, imprudentiæ, temeritatis, maleficiorum & criminum medicæ profeſſionis & ſalutis publicæ læſæ, afflictæ & affectæ grauiſſimè, conſcios, conſortes & reos inſimulauerunt & accuſauerunt.

An ergo id potuit in mentem venire Politicis, vt reos facere auderent ſeptuaginta illos ſummos ſapientes, quos Deus conſtituit Moyſi ſelectos de populo, & ei adiunctos, quibus oneris & ſpiritus ipſius Moyſis dimidium partitus eſt, vt cum eo populorum publica & priuata tractarent & peragerent negotia, vt leges & iudices peritos & probos ſuarum artium & profeſſionum ſingulis ordinibus crearent, qui populorum diſſidia componerent, & ſua cuique iura diſtribuerent, ad quos, à priuatis ordinum quo-

rumcumque iudicibus, ſupremos prouocaretur ?

Cur ſeptuaginta vel plures eſſe voluit ? ~~Ne~~ quod An non ut eſſet omiſſum, oblitum aut incognitum vni aut paucis, ab aliis ſufficeretur, & tandem nuda rerum veritas in abditis recondita ſcrutiniis multorum erueretur: plures enim exactius, verius & certius omnia perquirunt, examinant & iuſtius definiunt. *Salus eſt* inquit Sapiens, *vbi conſilia multa*: *Deus ſtat in ſynagoga deorum*, *in medio præſens deos ipſos dijudicat*. Promiſit in eos imbres & radios ſapientiæ ſuæ ſe immiſſurum, & ſpiritu intelligentiæ ſuæ eos repleturum, eorumque conſilia & diſciplinam directurum ; ſed vnius moris eſſe etiam ipſos, qui in domo ſua habitant, eiuſdem eſſe profeſſionis, conditionis, eruditionis, peritiæ, exercitij, intelligentiæ, conſilij, iuſtitiæ, ſpiritus, fidei & probitatis, vocatos in vna ſpe vocationis, inquit Apoſtolus, vt ſint vnum corpus, vnus ſpiritus: à quibus oracula iuſtitiæ diuina proferantur, & poſtrema reddantur ſola recta iudicia. Etenim, ſi humanitus loqui liceat, & ratio habeatur mortalis infirmitatis, nonne plures oculi plura cernunt ? Aqua quò plenior, eò incorruptior : & vniuerſi moles ſtat integra, deficientibus ſingulis. Oceanus totus imputris manet putrentibus ſingulis particularibus.

Abeant ergo conſilia illa diuerſa & diſſidentia inter ſe, quæ à comitiis variarum conditionum, profeſſionum, ordinum & artium opinionibus & ſententiis prodeunt, à quibus tot ſenſa, quot capita.

Abeant pariter illa ſingulorum arbitria in iis diſciplinarum & iudiciorum rationibus, in quibus præter generalia multa quæ ſunt ante obtinenda, innumera ſunt & penè infinita particularia perquirenda & inueſtiganda, vt in iis reperiatur veritas. Sed præter

ea ſunt etiã eſſentiales circumſtantiæ innumeræ æſtimãdæ & ponderandæ perſonarum, locorum, temporum, naturarum, rerum, quantitatis, qualitatum, modorum, à quibus petuntur argumenta iudiciorum, vt ſint vera, recta & iuſta: quibus impares ſunt omnino, incapaces, & irritæ ſententiæ ignarorum variorum diuerſi moris & conditionis, diuerſæ materiæ & rei de qua agitur. Si vnus homo, nullus homo eſt, ita plurium ignorantium, quæ pro vna ſunt opiniones & conſilia ſunt imprudentia, impudentia, temeraria & ridicula.

Quomodo qui nati ſunt velut tabula nuda, in quibus nihil fuit depictum & inſcriptum diſciplinarum bonarum & artium liberalium, ferrent iuſta earum iudicia, cum quibus nulla habent commercia?

Voluit ergo Deus in ſeriis & magnis rebus gerendis, in operibus æſtimandis, & in perſonis diſcriminandis & dijudicandis, & in veritate inquirenda & perſcrutanda, qui ſapientes eſſent, prudentes in rebus generalibus & particularibus, quique longo vſu eſſent exercitati & optimis diſciplinis ornati, iique vnius moris, conditionis & profeſſionis, in ea materia de qua agitur conſummatiſſimi, ſoli ſufficientes & apti, ſuis conſiliis & iudiciis de veritate & iuſtitia decernerent, à quibus ſacrorum canonum ſymbola & capitula orta ſunt, prudentium reſponſa, ciuiles leges & regiæ conſtitutiones, ſenatuſconſulta, concilia, conuentus notabilium, ſynagogæ, ſynedria peritorum & proborum, quibus ſunt creditæ Dei voces & oracula diuina.

Sic Pontifices ſummi, Reges & Imperatores maximi, Principes, bellorum Duces ſtrenuiſſimi, & quicumque res magnas & arduas ſibi proponunt, eas nũquam aggreſſi ſunt, niſi conſiliis peritorum & pro-

borum comprobatæ ſint : nec Reges noſtri per duodecim ſæcula quibus ſtat Monarchia, quidquam magni momenti peregerunt, quod non eſſet à Paribus ſeu Patribus conſcriptis, torquatis & togatis Senatoribus, Eccleſiaſticis & Laicis in vnum collectis & conuocatis, ἐφορίαις omnibus, ſuffragiis liberis examinatis rationibus, & potioribus ac pluribus determinatum & concluſum.

Etenim ad rei cuiuſque, materiæ, actionis, operis, officij, profeſſionis, muneris & perſonæ notitiam habendam, & veritatem detegendam & cernendam quinam verius vocari, & occupari poſſunt, vt iudicio quæ ſunt dubia & occulta dilucidentur, & recta ac iuſta definiantur, quam ij qui primi regulas, leges, formulas, ſtatuta documentorum, ſtudiorum, tyrociniorum, probationum, magiſteriorum & exercitiorum neceſſaria deſignauerunt & pœnis conſtitutis obſeruanda mandauerunt? Si quid poſtremo iudicio ſtatuendum ſit, quinam melius & certius, quam ij ipſi determinabunt, qui ad ſublimia & excelſa ſua tribunalia longis & arduis laboribus & ſtudiis aſcenderunt, & de rebus ſummis, publicis & priuatis quotidie iudicare ab omni memoria conſueuerunt: quorum curæ, tutelæ & cuſtodiæ, quotquot ſunt perſonæ ſummæ, mediæ & infimæ, Reges, Principes, Præſules, Nobiles, vel ex infima quauis plebecula muliercula: quotquot ſunt iura publica & priuata, quotquot ſunt res & bona fortunæ, corporis & animi ſubijciuntur, ne quid extrinſecus falſum, iniuſtum, alienum, violentum, noxium, & inultum, quo offendantur & incurrant: adeo generalis eſt & architectonica late extenſa eſt ſuprema eorum poteſtas & authoritas, bello & pace, vt nulla ſit hominum conditio, quæ eorum ſupremam iuriſdictio-

nem, terra marique fugiat.

Nunquam tamen hæc ſibi iura vindicauerunt, vt de rebus ſibi ignotis, de doctrina & diſciplina in genere & in particulari artium, profeſſionum, & conditionum, rerum, actionum, operum & perſonarum particularium ordinum iudicarent, quin prius voce aut ſcripto certam habuerint à peritis & probis artis iudicibus ſententiam.

Optimè namque ſciunt per generalem rerum cògnitionem peritos ſolos deduci ad particularium inueſtigationem, & iura ex factis eſſe ſumenda, eaque ratione periculoſas dici in iure definitiones: & prius actiones, opera, facta, perſonas, quæ ſunt res particulares ſuppoſitæ generalibus, eſſe cognoſcendas, quam de iis pronunciari iuſtè poſſit: & qui in generalibus ſolis conſiſtunt, pro iuſtitia iniuſtitiam reddere, & pro ſummo iure ſummam iniuriam facere, & eos qui ex theſi iudicant, in hypotheſi ſæpiſſimè perdere; qui circunſtantias, diſtinctiones, limitationes nullas particulares & differentias obſeruant, toto cælo aberrare & offendere, & à veritate & iuſtitia omni recedere. Quæ cum ſupremi iuſtitiæ principes cane peius & angue fugiant, nec vnquam ad generalium & particularium rerum, perſonarum & operum iudicia deſcendant & accedant, quin à peritis & probis iudicibus, qui in iis particularibus inſtructi ſunt ſoli & verſati, ſententias & iudicia certæ notitiæ & ſcientiæ prius habuerint. Veréque dicere poſſumus, vt in aliis profeſſionibus, ſic in medica eos hæc ſemper religioſiſſimè obſeruaiſſe, ac ne latum quidem vnguem ab ea regula & more defeciſſe. Cumque etiam videamus, eos Politicorum & inferiorum iudicum iniuſta & fraudulenta iudicia reſcindere, & pro recurſantium rerum, aut renaſcen-

tium, aut obſoletarum facie noua & viciſſitudine leges & conſuetudines,pro æqui & boni ratione varia, emendare, immutare, antiquare, renouare: & cum inferiores iudices à præſcripta formula in perquirendis diligenter factis, aut in tergiuerſationibus & preuaricationibus à iuris reddendi recto tramite deflexerunt, in eos ſeuerè animaduertere, & iniuſta ac fraudulenta eorum iudicia caſtigare, ſed quandoque etiam eos ab officiis publicis gerendis abdicare: Cur non etiam eoſdem ſupremos, integerrimos & grauiſſimos iuſtitiæ vindices, authores & fautores ſperemus, in eoſdem Politicos & inferiores iudices animaduerſuros eſſe ſeueriſſimè, cum ſciuerint eos in rebus medicis, perſonis & operibus nullatenus inſtructos, informatos, eruditos & peritos, tam animales eſſe,tam irrationales, tam craſſo & ſtulto iudicio, aut etiam ſpiritu tam malitioſo,vt de rebus,perſonis, & operibus medicis ſibi ignotis à tam longo tempore iudicare poſſe ſibi propoſuerint, nec ab iis deſiſtere vnquam voluerint 2000. abhinc annis falſos Medicos & empiricos in vrbes, lupos in ouilia, nefarios & veneficos in hominum cœtus,ſocietates & turbas introducere, vt ſuos ciues miſerè per alios confodiãt, veneficent,perdant & enecent,& vt per ſe ſuis falſis iudiciis ſaluti publicæ officiant, hominum vitæ ignoranter & malitioſè inſidientur, dum Empiricam irrationalem,falſam,temerariam,& mortiferam medicinam rationali ſemper prætulerunt,& totam diuinam, rationalem, & ſalutiferam Medicinam euertere & extinguere conati ſunt, nec vnquam Medicos legitimos, & peritos ſuæ artis iudices agnouerunt & aduocauerunt, ſed ſemper ſuper eos exaltare ſe exultauerunt?

An non de iis locutus eſt Propheta Regius, cum

dixit, vidiſſe ſe homines certantes ab vtero, in tenebris ambulantes, in obſcuris collocatos, ſicut mortuos ſæculi, mendaces in ſtateris, ſequentes falſa, meditantes inania: imminutas eſſe ab iis à natiuitate veritates ratiociniis & iudiciis, carentes intelligentia, torpidos & hebetes memoria, ſemper dormitantes & ſomnolentos, toto cœlo in omnibus errantes, vix extra captum & inſtinctum brutorum emergentes, lumine interno orbatos, vix externo videntes, noctuas ad meridiem veritatis, talpas ad intelligentiam rerum ſpiritualium, & ad ſapientiam diuinarum, caligantes ad humanas ſcientias & artes, vagos & curſitantes, ad recta ſermocinia, & ad bona opera claudicantes, lynceos tamen ad dolos concinnandos, habiles & veloces ad fabricandas machinas malignitatum, & ad effundendum ſanguinem, agiles ad vltiones, errores & maleficia omnia. Qui cum vix communia, generalia & vniuerſalia præcepta, notiones, documenta & principia ſuæ profeſſionis agnoſcant, quæ ſunt omnibus penè cognita & manifeſta, quomodo deſcendere poterunt ad particularia, à quibus deſumuntur iura, iuſtitia & veritas?

Quomodò ergo habebunt medicæ profeſſionis ad manum generalia documenta, & ad benè iudicandum doctrinæ, diſciplinæ & circunſtantiarum particularia tam recondita, quæ non niſi maxima cum difficultate à peritiſſimis, expertiſſimis, ingenioſiſſimis & conſummatiſſimis ſunt ſcrutabilia & perceptibilia?

Certè credibile eſt, quemadmodum de rebus, perſonis, & operibus medicis tam malè loquuntur & ſentiunt, ſic etiam de diuinis vt Atheos, aut Hæreticos, aut Chriſtianos mentitos malè apud ſe cogitare

& pre-

& iudicare,atq; ideo non modo in infimo ordine ſtultorum hominum, & in hoſpitiis ignarorum, aut inſanorum, & penè in claſſe brutorum eſſe collocandos, ſed prorſus iudiciis omnibus medicæ profeſſionis interdicendos, & ad pœnitentiam criminum tantorum, tamque maleficorum à pomœriis vrbis, aut potius à finibus Regni in illas terras,quas malus vrget Iupiter, cum ſuis falſis & ignaris medicis empiricis,relegandos & deportandos, vt adſit hæc ætas, quam fore prædixit Syluius, auxilium nobis allaturam, qua ſycophantæ iſti aufugiant, aut transferantur in Gyaras,in lapidicinas, in heremos, conſcientia ſcilicet ignorantiæ ſuæ ac iniuriarum,ceu ſpina confixi. inedia & labore, etiam lacrymis, eluant, quæ peccauerunt iniquiſſimè, niſi ante, inquit, eo modo ex vrbe deijciantur, vt olim Monſpelio extrudebantur à ciuibus toties, & tam grauiter deceptis & deluſis.

Cum ergo homines omnes, qui bene à natura comparati & benè arte efformati vtuntur ratione, vt verè & iuſtè iudicent, apti ſoli ſunt, qui ſint regnorum, prouinciarum, ciuitatum, militiæ, nauigationis optimi gubernatores, iuſtitiæ adminiſtratores, familiæ rectores, non ij qui ſunt ineruditi, imperiti, inexercitati, inertes & ignari, qui communi & eadem regula regnarent, regerent, gubernarent & iura redderent: ineptos ſiquidem eos eſſe artifices, qui omnes aut eadem menſura, aut nulla calciarent, veſtirent. Sic multo minus Medicos eos eſſe admittendos, & iudices rerum medicarum & perſonarum faciendos, qui arte nulla, nulla notitia & peritia, ſed communi omnibus forma & modo medelæ ſanos ſeruarent & curarent ægros, & ad omnia medica diſſidia, lites & contentiones dirimendas nihil generalium & particularium, communium & propriorum,

ſimilium aut diſſimilium agnoſcerent, obſeruarent & diſtinguerent.

Hæc, inquam, ſi omnes apertè agnoſcunt & fugiunt, quantò magis Reges, & ſummi Magiſtratus, qui ad ea in Regno & ſocietate ciuili, communi & publica gubernanda, fugienda & caſtiganda ſunt à Deo conſtituti in Politicos, & vulgares tot pernicioſos, qui Medicina abutuntur & in ea tam ignoranter & iniquè peccant, animaduertere deberent?

Cumque tam pauci ſint, qui contra hanc diuinam artem non offendant, qui de ea non peruersè & inique iudicent, arcanorum cupiditate non teneantur, ad ea ſimulacra genua ſua non flectant, ſeque totos iis devoveant, & citam mortem longitudini morborum & lætæ victoriæ non præferant: vt tam pauci ſunt electi fideles, qui legi diuinæ, vt par & æquum eſt, credunt & mandatis obſequuntur: attamen vt infidelium multitudo cum fidelium paucitate miſcellanea legem diuinam non deſtruit: ſic nec ſtultorum & falſorum Medicorum, Politicorum, miniſtrorum & vulgarium quorumcunque ignorantium & malè ſentientium de virtute & meritis artis rationalis, & peritorum, ac proborum Medicorum, numerus infinitus, eam vnquam obſcurabit & ſubuertet, quin ſemper, vt oppoſita contraria clarius eluceſcunt, ſic ſemper contra eos ſplendor Medicinæ rationalis, vt contra portas inferi lux orthodoxæ fidei præluceſcet & præualebit.

Abſit ergo, vt vnquam iudices tam paucos, veros & æquos de arte rationali & peritis eius artificibus, cum tam multis illis ignaris & falſis confundere, & eodem loco & numero haberi & æſtimari velimus, ſed potius in oppoſitis & extremis, in quibus Reges,

Pontifices, Magiſtratus ſupremos, Facultates & alias natura, arte, & afflatu diuino, in nomine Dei concurrentes, ſynagogas locauimus, ſcilicet in primo perfectionis ordine computauimus: Sic reliquos in altero & poſtremo imperfectionis ordine, vt imperfectos & immeritos reponimus: ea tamen ratione, vt permulti ſint intermedij, qui quo propius aut longius ab extremis recedunt, aut accedunt, ita locandi ſunt & reponendi benè aut malè, prout cum arte conſentient, aut diſſentient, ita amici aut inimici hominum & ſui ipſius æſtimentur.

Cum ergo Politicis abundè ſit ſatisfactum, nec amplius eorum animis hærere putem quidpiam, in quo de arte rationali dubitent, remotis cauſis vniuerſalibus, indefinitis, & accidentariis, ſuperſunt tantum duæ poſtremæ, proximæ, præcipuæ & vniuocæ malorum Medicæ profeſſionis cauſæ, quæ ſunt ab Hippocrate propoſitæ, ſaluti & vitæ hominum, ſanorum & ægrorum, prorſus aduerſæ, nempe falſi Medici & Politici: quorum qui nunc ſint criminaliores, diſquirendum eſt.

Politicos audio non iniuria in Medicos ipſos rationales culpã omnem tot criminum reijcere, ſeſeq; vitiis iſtis immunes excuſare, in eo quod Medici, in quibus alios iudicant, ſe ipſos condemnant, quia eadem agunt: ἰατρὸς ἄλλων ἀυτὸς ἕλκεσι βρύων: bellè Comicus, carere debere omni vitio eum qui in alterum paratus eſt dicere. An neſciunt iudicium Dei in eos eſſe, inquit Apoſt. ſecundum veritatem, qui talia agunt?

Meminerint ergo ſermonum anteriorum, qui ſi veri ſunt, à ſe ipſis & ore proprio ſua prodibit condemnatio & iudicium.

An non genere ſuo, ſe Arabas eſſe, & maiores ſuos ab Arabia rediiſſe corruptos doctrina ſua, & depra-

uatos, ac peruerſos diſciplina, paſſim publicauerunt, Hippocratis, Galeni & principum Græcorum veterum filios prorſus degeneres, & rationalis Medicinæ antiquæ abortiuos & ſpurios, qui totius familiæ medicæ veritatem, puritatem, œconomiam & magiſterium labefactauerunt & ſubuerterunt; miniſterium cum magiſterio medico confuderunt, & omnem ſuam dignitatem inquinauerunt, proſtituerunt & profanauerunt?

An non ab iis dictum, ad ſolos peritos & probos Medicos pertinere noſſe rationalis Medicinæ virtutes & vitia, res, perſonas, actiones & opera, an vera ſint aut falſa, iuſta aut iniuſta, recta aut obliqua, certa aut dubia? an qui eam exercent ſint methodici veri vel ἀμέθοδοι, empirici vel dogmatici, arte, mente & iudicio eruditi & periti, ſapientes & prudentes? an valeant mentis ἀγχινοίᾳ & manus induſtria, atque dexteritate? an apti an inepti? an praua ſint medica opera, malefica, & vitioſa? an actiones & præſcripta ſint rationi & veritati artis conſentanea, & ægrorum particularium propria?

An ergo ſunt hæ partes & officia Politicorum, non Medicorum, monere ſupremas poteſtates, hortari, ſupplicare, quarum ſumma cura eſt publicæ ſalutis, & rationalis Medicinæ conſeruandæ integræ? Cur bis mille per annos ab Hippocratis ætate, per tot ſæcula tanta vitia & tam exitioſa damna & maleficia decurrere inemendata & impunita permiſerunt? An fuit Politicorum ea noſſe & exponere; & emendationes, pœnas & ſupplicia procurare?

Si dicam, à maioribus quidem ſuis fateri fuiſſe ignominioſè hæc profecta & turpiter introducta, permiſſa & tolerata multa, ſed puduiſſe à ſe iſta commemorari, cum nemo ſit, qui ad publicam ſuorum ſcele-

rum ſuæque infamiæ recordationem & commemorationem non erubuerit, quique iis inuerecundè adhærere & aſſentiri palam ~~inuitus, intra ſe tamen~~ deteſtari, abhorrere & ſilentio obſcurari, quam palam declarari voce aut ſcripto non maluerit & prætulerit.

Si hac ratione culpam ſuam velent & excuſent, an non ſic accuſant grauiorem & criminaliorem qua non erubeſcant, per ſuam inertiam & ignauiam tantam, & tamdiu ſæuire internecionem, & præ pudore leui aut nullo propriam fallere & prodere conſcientiam?

Haud dubiè dicent, egregios ex ſuo ordine prodiiſſe qui id fecerint, qui ſuas ſupplicationes ſcriptis, vocibus, & clamoribus emiſſis, ſupremis poteſtatibus nuncupauerunt, quæ nec auditæ ſunt, nec exauditæ.

Ad manum facilis reſponſio, ab ipſis petita contra ſei pſos: Bonum nullum eſſe, niſi quod conuenienter & opportunè, adhibitis omnibus circunſtantiis, tam perſonarum, temporum, locorum, modorum, formarum, rituum fiat. Optimè D. Baſilius, οὐκ ἐν τῷ μεγάλῳ τὸ εὖ, ἀλλὰ τὸ μέγα ἐν τῷ εὖ, monendo, ſupplicando, inſtando, ſollicitando, & procurando ac conſtanter perſequendo, nomine communi & libellis Facultatum omnium, vno ore & vocibus, adductis per veras cauſas rationibus, & per effectus veros & certos probatis & confirmatis. An non ita ſe gerere debebant in his tanti momenti rebus, quanta eſt hominum ſanitas, & vita, per rationalem Medicinam ſecuritas vtriuſque & conſeruatio; & in aliam formam tam inueteratæ ignorantiæ, errorum, vitiorum & maleficiorum retractatio & reformatio, & perſonarum, rerum, actionum & operationum regeneratio & renouatio?

An ergo ſua vt exaudirentur poſtulata, adhibitis illis circunſtantiis vt benè ſuccederent, facta ſunt & peracta?

An non multitudini peritorum & proborum vnius moris, conditionis & profeſſionis ſoli credendum eſſe concluſerunt? Quid aliud eſt huius aut illius, aut vnius ſingularis hominis, vt ipſi dixerunt, admonitio, poſtulatio & ſupplicatio, quam nullius fides & aſſertio? Cur ergo queruntur ſuis fidem non eſſe adhibitam, qui in eadem vitia inciderunt, quæ in aliis reprehenderunt? An non ſe ipſos ſuo ore proprio in omnibus arguunt & iudicant, & iniuſtè Politicos increpant?

Sed poſtquam quadraginta abhinc annis Regia Iuriſdictio Medica, tamdiu quæſita & exoptata, velut Palladium & Panacea malorum medicæ totius profeſſionis, à Rege Ludouico XIII. poſtulante D. Mangotio Procancellario in fauorem Heruardi Medici primarij conceſſa, ad Senatum vt proclamaretur delata eſt, eiuſque proclamationi Facultas Medica Pariſina, iuſtis quidem rationibus, interceſſit, quia erat ad Heruardi ſolius gratiam & gloriam potius, quàm ad publicam vtilitatem profeſſionis, ſalutis ac vitæ hominum conſeruationem & ſecuritatem, & ad vitiorum & maleficiorum diſciplinæ reformationem inſtituta, ad exemplar forſan illius concepta, quam Imperator ſuo Medico primario Archiatrorum comiti apud Caſſiodorum condonauerat, qua ſolum illum iudicem rerum, perſonarum, actionum & operationum Medicinæ totius, tam doctrinæ, quam diſciplinæ conſtituebat: ſæpiuſque accidat, vt primarius Regum & Imperatorum Medicus, ſit eruditione, peritia & probitate aliorum poſtremus & peſſimus Medicus: ideo etiam iure opti-

mo Facultas Medica, ejuſque Medici meliori luto formati, quàm ſuperiores, reclamauerunt, ne ignorantia, errores & damna profeſſionis prioribus deteriora conſequerentur.

Sed curtationes ſuæ interceſſionis tamdiu ad Senatum deferre tardauerunt, quibus quod eſſet in diplomate Regio falſum & iniquum emendaretur & elueretur, quod eſſet imperfectum & defectuoſum, adderetur & perficeretur; & quod eſſet verum, bonum, iuſtum, vtile & neceſſarium publicæ ſaluti & arti ſalutiferæ, probaretur & adimpleretur? An non tam tarda quadraginta annorum mora antiquam parentum ſuorum inertiam, ignauiam & incuriam ſibi connaturalem & inſitam arguit, qua veram, iuſtam & ſalutarem ſuæ profeſſionis reformationem non quærere, nec antiquæ maieſtatis, dignitatis & authoritatis reſtitutionem exoptare manifeſtè teſtantur? An non huiuſce præuaricationis ſuæ fidem in hiſce, vt in aliis, dederunt?

Cum circa illa tempora, quibus Chirurgorum manicatorum, & Pharmacopœorum orta eſt & facta à Medicis ſeceſſio, quibus conſtructum eſt theatrum Anatomicum & erectæ ſunt officinæ, omni materia medica & inſtrumentorum ſupellectile inſtructæ, quibus præfecti ſunt egregij Anatomici & operatores Medici, Chirurgici & Pharmacopœi; Riolanus, Carolus, Guibertus, Renodęus, & alij; cur ſuas operationes medicas & methodicas, & inſtrumenta quęque propria ſuis manibus abſolutè reſumere, eas vindicare atque ab iniuſtis poſſeſſoribus ſuam hæreditatem, & poſſeſſiones repetere deſtiterunt: vt ſi

vtramque hanc Medicinæ partem antea neglectam, à se omissam & reiectam exercere apud ægros propriis manibus nollent: vtramque saltem in scholis demonstrare & docere operandi modos & formulas suos discipulos non desinerent, qui passim iis in locis, quibus periti χειρόπτχοι non occurrunt, ægris succurrerent?

Cur vtramque tam ignominiosam sibi esse crediderunt, quam Æsculapio, Podalyrio, Machaoni filiis eius, & magno Hippocrati tam gloriosam fuisse antiqui omnes prædicauerunt, & omnibus ęgris tam salutarem? Cur vtramque in putidas tabernas tonsorum velut lanienas, & in officinas mercatorum quæstuarias vt vœnalis ęgrorum exponatur vita transmiserunt? Cur exclusos ab anatomico theatro tonsores dissectores reuocauerunt, & vœnalia pharmacopolia, quæ Guibertus suspecta ægris & noxia alienauerat, mercatoribus ministris reddiderunt & restituerunt? Cur primarium Regis barbitonsorem, ab artis ambitu prorsus alienum & extraneum tonstrinæ suæ Chirurgiam adnectere & arrogare, sibi Chirurgos supponere, commoticæ suæ cosmeticen subiungere, & quæ sunt subiecta Medicinæ multa nullo iure, nisi furtiuo & tyrannico, occupare & vsurpare voluerunt, nisi vt operum Medicinæ spoliis ornetur & exultet, quovis pretio lucretur, & de corio ludat humano?

*Cur non pariter intercesserunt edicto Regio, anno hocce in gratiam Valloti P. M. edito, ne in Senatu confirmaretur, sicut olim intercesserant edictis in favorem Heruardi in Senatum delatis? an ignorant

* dans ~~[illegible]~~ l'exemplaire [& M. Sue] ces quatre derniers lignes sont cachées par ces mots: cum pridem [medicus Heruardus] M. B. Lud. XIII alumnus Scholæ Paris. eandem bis Regii plant. medic. doctrinam cum stipendiis amplis subrigatis litteris regiis promovisset, cujus adhuc chyrographo D. Cancellarius [illegible] et [illegible] ... [illegible] renunciavit? —

Vallotum tam Heruardi quàm Valterij sequi vestigia? Et rationalis Medicinæ in doctrina veritatem & in disciplina rectitudinem in suum commodum priuatum specie censuræ necessariæ pertrahere velle? illi enim non bonis artibus nec iustis comitiuæ archiatrorum præfecturam adepti sunt immeritam: Sic etiam Vallotus eorum successor & ex asse hæres in thronum eundem ascendit artibus iisdem impar & immeritus.

Illi Medicinam rationalem eiusque rectam & veram doctrinam corrumpere, & disciplinam subuertere in maiestatum & potestatum summarum, hominumque omnium sanorum & ægrorum perniciem contenderunt. Sic etiam hic eandem medicinam generalem, & notitiam subiecti sui & cuiusque materiæ atque affectionum particularem, eorum exemplo, ignotam sibi, in omnium ruinam vtinam ne Regum & principum, diruere nititur.

Et vt vterque ille summum imperium in professione affectauit, nec ad id vllis dolis nec audaciæ pepercit, Heruardus quidem subdolè specie censuræ necessariæ in exercenda arte per diploma alterum sibi subdelegatos arabistas simillimos pharmacopœorum progeniem illiteratam & noxiam vsque ad pagos dispergere voluit, per alterũ eosdem Arabistas qui iurisdictionẽ Regiam medicam toto passim regno exercerent de rebus personis actionibusq; & operibus suo modo iudicarent committere posse obtinuit. Sed quam illo tempore per oppositionem facultatis Senatus reprobauit, hodie per incuriam & igna-

uiam eiusdem facultatis & tardiorem in oppositionis causis reddend.s dormitationem in Valloti gratiam approbauit, adeo vt via nunc pateat Valloto trita & aperta, qua quod obtinuit vulpina & furtiua mente dominium in pharmacopœos, cis paucos dies per iurisdictionem Heruardi principatum summum consequatur in vniuersam facultatum & medicorum familiam, sicque rationalem artem tandem suffocet, & solam empiricam quoquouersum disseminatam spargat in san tatis & vitæ omnium etiamque Regum ruinam. Sicque conniuentibus Medicis rationalibus, qui paucissimi hodie sunt, aut veterno torporis & ignauiæ antiquæ sopitis, sit deinceps ad comitiuæ solium, thronum & merum medicinæ imperium ignorantium & nefariorum ascensus & progressus, cui etiam se adiunget effrænata Valterij tyrannica audacia, & empirica temeritas, & extremum malorum exitium: Cur ergo non fateantur rationales suam à se ipsis esse perditionem, nequaquam à Politicis quorum non sunt hæc munia & officia cautionum?

Sed cum P. M. Regis Lud. XIII. B. alumnus Parisinæ scholæ, eandem horti plantarum Medicinalium & operationum medicarum rectricem cum stipendiis amplis, subsignatis literis præfici apud Regem procurauisset, teste adhuc locupletissimo superstite D. Cancellario, cur suo iuri huic tam gratioso renunciauit?

An quia voluit omnibus suis (vt olim) officiis reliquis renunciare & in scholis & apud ægros perpetua esse

esse Pharmaciæ & Chirurgiæ theoreticæ & manuariæ silentia? An non hæc & alia innumera testantur ab ipsismet Medicis rationalibus postulationem medicæ jurisdictionis fuisse fictionem & specie salutis & vitæ humanæ conseruandæ, medicæ professionis reformandæ & à suis calamitatibus eripiendæ simulatione procuratam?

Cum enim eam tam necessariam quàm tot rationibus validissimis causarum & effectuum exitialium demonstratum est tam tardè persequi cunctantur, an non se in antiquam suam rerum Medicarum obliuionem ignauiam & incuriam recurrere & relabi velle testantur? Cumque dicunt se solos agnoscere in sua Medica professione docenda & exercenda maleficia & damna, cur cura sua sollicitudine & studio ea tot impedimenta summouere & tollere, quod in sua potestate est detrectant & effugiunt? An non omnem officij, muneris, vtilitatis, publicæ salutis, & vitæ hominum atque professionis suæ necessitatem, scientiæ conscientiæ suæ curas & studia deponere, & vitia corruptionum in doctrina, & deprauationum ac peruersitatum in disciplina negligere se demonstrant? cum opus quod tantis votis & precibus expetiuerunt & præ manibus habent inceptum, accelerari, adimpleri & perfici nolle videantur?

An non sunt ipsi plus quàm nos animales & stulti, qui non percipiunt eadem vitia & maleficia quæ nobis imputant, in eorum potius capita retorqueri? Nempe suam rationalem Medicinam suâ culpâ nunc despici, obscurari, & deficere? salutem & vitam humanam, in vrbibus, in priuatis domiciliis, in publicis hospitiis, in castris & in aula etiamque regia magis ac magis in dies velle periclitari? professionem sordidis manibus turpiùs, ignobiliùs & fœdius vilescere?

ministros dominari ambitiosius, superbius insolescere & imperare? Arabistas, Semidogmaticos, Apostatas, & impostores quosvis liberius grassari, interficere & disperdere? & omnes ignaros, arcanorum suorum vanis ostentationibus gratius & officiosius specie beneficiorum audiri & excipi? & omnem veritatem, rationem, methodum, causarum notitiam, peritiam, Chirurgiam, Pharmaciam, studia, tyrocinia, magisteria, probationes, testimonia ipsorum rationalium Medicorum culpa & ignauia euanescere?

Hæc vero omnia cùm selectiores aliquot Doctores Parisini Medici, & cupidiores suæ dignitatis gloriæ Medicæ amantiores recuperandæ vindices exactiores, nec non corrigendorum errorum, vitiorum ac maleficiorum castigandorum censores seueriores animis suis reuoluerent esse tam inueterata vt essent ingenita, & hactenus credita inemendabilia quererentur apud se & quęrerent inter se, an mala essent omnino desperata & deplorata, & cum opporrunitas adesset in præsentiarum sibi adnata, qua vnus è sua schola Collega B. ad Archiatrorum Comitiuam fuisset à Ludouico XIII. Rege Iusto accitus, quem nouerant pari amore & studio erga professionem Medicam affectum & impulsum pari dolore salutis publicæ palam neglectæ, & periculis manifestis & certis obiectæ, suæque Medicinæ ignominiæ & opprobriis expositæ contristatum, in aliquam spem erigi cæperunt, qua remedium tamdiu expectatum, expetitum, & expostulatum Regiæ iurisdictionis, eius promotione procurari & obtineri, & quod esset opus iam inchoatum, facilius perfici posset.

Simul ergo collecti summa capita causas malorum & calamitatum quibus Medicinæ professio iamdudum conflictatur, sanitas hominum miserè impe-

titur, & vita impunè eripitur, breui chartula descripserunt, ad primarium Medicum Collegam miserunt, & amicè eum ad tam salutare, tam necessarium & tam gloriosum negotium ita compellauerunt, vt cum antea multis beneuolentiæ & gratissimi animi erga Medicinæ rationalis veritatem, dignitatem, vtilitatem & necessitudinem argumentis propensionem non mediocrem designasset in ea qua tunc gaudebat, & fruebatur apud Regem potestate & authoritate eandem non denegaret optimi viri significationem, & opus quod sciebat tam necessarium apud Procancellarium promoueret & persequeretur in aula; se & in senatu quod possent prçstare conferrent. Primarium Medicum resciuimus gratiosis postulationibus & propensi animi erga artem & salutem publicam collegarum significationibus tam fuisse vehementer impulsum, vt nulla mora adiuncto sibi D. Seguino seniore Reginæ matris Medico, ambo recta ad D. Mariliacum Procancellarium properauerint, quem postquam salutauerunt, causas aduentus sui exposuerunt.

Nempe damna innumera contra salutem publicam quotidie accidentia, & assiduas professioni Medicæ factas iniurias multis sæculis inueteratas ab eo ex postulare iustitiæ vindictam meritissimam contra magnas falsorum Medicorum & Empiricorum turbas, qui per omnes regni vniuersas vrbes & ciuitates, & maximè per populosam Lutetiam diffusi grassabantur, & copiosiores quotidie quam vnquam affluerent vt etiam propediem in aulam ingrederentur & aduocarentur.

Etiamque contra Politicos totius regni, qui rerum, personarum, actionum & operum professionis Medicæ rationalis ignari, nihilominus tam temerè de

iis iudicarent, vt nullo facto peritorum ab imperitis discrimine promiscuè veros falsis adnumerarent, & nullo delectu in vrbes admitterent. Et ita per se ac per alios clades & ruinas ciuibus & arti adferre non desinerent: & cis paucos dies in aulam ingressuri tragœdias luctuosas excitarent.

Sermonem interrupit nec vltra produci permisit, vt obijceret iis Mariam Niuernensem, heroinam excelsam quæ nunc est Regina Poloniæ graui morbo affectam à Medicis Paris. fuisse derelictam quam Seminius Empiricus sanauerit, tam præceps & inconsultum responsum sine causarum perquisitione vlla factum magno mœrore affecit Medicos, qui vbi ab eo recesserunt hęc apud se cogitarunt. Si in foro verum est ex facto ius erui, an ęquum esse potest responsum antistitis sine perquisitione causarum, falsorum medicorum, & politicorum, eorum qui principem Mariam ægram deplorauerunt & deseruerunt, & Seminij empirici ignorantiæ & imperitię factum?

Certè didicisset (aiebant) falsos medicos, mentitos & empiricos omnis generis infinitos in vrbem perpetuò circumfluere, nullo discrimine admitti, & eorum maleficia in viros & genuinos rationales Parisinos indigenas peritos & probos vulgi rumore & ignorantia reijci solere: Sic ergo etiam re sciuisset medicos fuisse illos falsos externos alienigenas circumforaneos aut rationalis medicinæ desertores arcanorum præcones & empiricos qui Mariam Niuernensem principem desperauerant. Didicisset insuper ægros & astantes innumeros credulos nimium, impatientes & pertæsos suas morborum acerbitates & longitudines aut citam mortem, aut victoriam sępè pręferre rationalis medicinæ securitati, & aduocari nefarios impostores qui omnia læta & nulla suis

arcanis inexpugnabilia promittunt, licet enim ex millenariis ægris vix vllus qui non ſanetur per rationales & veros medicos, vnum tamen ægrum qui ex accidenti liberatus ſit, empiricis ſufficere vt ad aſtra vſque proclamentur & exaltentur & gloria ſanationis iis tribuatur qui nihil non fecerunt vt perderent & vt ægri ſint ingrati peritis & probis qui nihil non ratione veritate & certitudine fecerunt vt ſanarentur. Eadem ipſa de Empirico Seminio tam in Maria Niuernenſi quam in Comite Dorualio veriſſima ~~et~~ fuiſſe comperiſſet, ſcilicet nihil per ſe pro ſuo more non molitum eſſe vt ſemper deſtrueret & caſu contigiſſe vt ſemel proficeret. Hæc inquam ſi D. Procancellarius exactè perquiſiuiſſet non tam temerè & cito ex vulgi falſo rumore publico reſpondiſſet.

Ex iis concluſerunt inter ſe Medici rationales Regij, poſt tot ſupplicationes & admonitiones medicorum egregiorum ad conſiſtorianos fruſtra nuncupatas & proclamatas, & poſt haſce ſuas voces non eſſe ſperandam deinceps vllo ſermone, admonitione, ſupplicatione & clamore ad aures aulicorum & politicorum rationem, iuſtitiam & vindictam criminibus læſæ publicæ ſalutis, & medicinæ rationali & profeſſioni factis injuriis. Sed vt in magnis & arduis rebus fieri ſolet ſcripto publico, quod manifeſtum dicunt, cauſas omnes generales & particulares per ſuos congeneres effectus exponendas eſſe veras oculis omnium qui de iis iudicent manifeſtè ſubijciendas, quæ ignorantiæ, licentiæ, ignauiæ, incuriæ & obliuionis corruptiones, peruerſitates falſitates errores & maleficia eorum continerent: qui tam inſolenter per ſe & impunè ſalutem & vitam hominum demoliuntur, & de perſonis, rebus, actionibus & operibus medicæ profeſſionis & artis aachitectonicæ tam temerè in om-

+ agyrtam

nium perniciem & ruinam iudicant dum empiricos & falſos medicos nomine rationalis medicinæ qui totidem ſunt homicidæ & venefici in vrbes introduci ſinunt, vt omnes diſperdant & enecent adeò ſcilicet difficile ac pene impoſſibile eſt ex animis omnium ne dicam vulgarium ſed etiam magnorum virorum inueteratum ab hinc tot ſæculis errorem & ob firmatum præſcriptione longiſſimi temporis expugnare & excutere. Accidit tamen ſic ordinante Domino, vt cum poſt aliquot menſes Rex in grauiſſimum morbum Lugduni incidiſſet, ad eum conualeſcentem D. Marilliacus Procanccllarius acceſſerit, & Regi gratulatus fuerit de recuperata valetudine Dei opt. max. ope & gratia, etiamque peritorum ſuorum, medicorum opera, præſens autem cum adeſſet primarius Medicus nactus occaſionem, impetrata à Rege loquendi libertate ſic orſus eſt.

Collætatur tecum cum vniuerſo populo, ars medica (integerrimè D. Procancellarie) quod nunc præſente Rege te agnoſcat tanto manſuetiorem & æquiorem quanto paulò ante perſenſerat ſeueriorem & acerbiorem, quando ad te veneramus vt de tot hoſtibus humanæ ſalutis & vitæ empiricis & falſis medicis, arabiſtis, ſemidogmaticis, chymiſtis, ſpagiricis, paracelſiſtis, crolliſtis, beguiniſtis, hermeticis, ſympathicis, ſymptomaticis omnibus ignaris & impoſtoribus homicidis & veneficis officioſe, gratioſe & inſidioſe inficientibus, officientibus & interficientibus, deq; politicis omnibus quorum licentia agminatim in vrbibus quotquot ſunt nefarii nullo facto à peritis & probis per politicos diſcrimine excipiuntur, vindictam aliquam tuis iudiciis æquis abs te obtineremus, ne amplius turba illa perditorum medicorum perſonatorum falſo nomine medicinæ paſſim fallen-

tium per vniuersas regni vrbes perque Lutetiætam populosæ quosvis angulos ac postea etiam per aulam Regiam, ni occurratur, experimenta per mortes agerent; neve etiam amplius liber aditus & impunitas in vrbes per licentiam & audaciam illam concederetur, nec politici de rebus personis operibns & actionibus medicis amplius etiam iudicarent in hac professione, exclusis peritis & probis medicis quorum est proprium dare in istis τὰς ἀξίας vt loquuntur Legislatores, vt quod nulla alia in professione tam audacter faciunt, etiam in medica facere desisterent, & soli in sua iudices medici periti & probi, sicut cæteri in suis artis rebus constituerentur. Hæc fuit antiqua Hippocratis querela (Rex Iustissime) nempe præstantissimam artium Medicinam reddi cœterarum aliarum ignobiliorem & posteriorem, propter ignorantiam eorum medicorum qui eam temerè & imperitè facerent & propter eandem ignorantiam politicorum qui de ea deque rebus personis actionibus & operibus istius professionis temerè & iniustè iudicarent, quod tantò difficilius emendari & reformari posse agnoscimus quantò altius inueteratum malum est, & confirmatum, & longius veritatis specie & fide adumbratum & creditum apud eos qui historiam antiquam & nouam medicinæ eiusque naturam & vires ignorauerunt, qui non sicut tu (Rex potentissime) cui tibi inspirante Deo tam cognita est per causas & per effectus medicina quam tua propria natura & constitutio, ad quam declarandam per testimonia, rationes & exempla iustum volumen impleretur quod forsan alias si Deus permiserit prodibit: modo in præsentiarum permittas dicere satis id probatum esse per edictum à te editum quod fuit ab antecessoribus tuis Regibus omissum & oblitum quo-

iurisdictionem regiam professioni medicæ primario tuo Medico Heruardo in gratiam artis architectonicæ tam præstantis & diuinæ regenerandæ & renouandæ & salutis ac vitæ hominum sartæ tectæq; conseruandæ, concessisti, quam ignorauisse Dominum Procancellarium credidimus quando responsum tam aduersum tuo diplomati nobis reddidit, nesciuisse insuper id ante factum vt reges & regnum, & legislatores & iuris summos arbitros antecessores ab obliuionis supina contumelia vindicares: quod iurisdictionem arti per tot sæcula regiam assignare prætermiserint quàm nulli vel minimæ materiæ, arti & professioni suam negauerunt nec vicina regna omiserunt.

Etenim ad vitandos errores ignorantiæ, & ad vitia, fraudes, maleficia & crimina malitiæ nulli non arti, ordini, materiœ fabricandæ formandæ, vendendæ per iustas cuique leges suas & iudices peritos & probos proprios & idoneos prouidisti & consuluisti, ne non modo hominibus in rebus necessariis & vtilibus vllis fallaciæ errori & maleficio locus esset sed ne quidem equis fraus fieret fœno suos obseruatores, censores & iudices omiseris.

Quantò vero volueris & edixeris saluti hominum & vitæ conseruandæ & ab ignaris medicis & profanis iudicibus vindicandæ iustius esse consultum? & per iurisdictionem Regiam Medicam peritos & probos artis rationalis medicos & iudices solos rerum personarum, actionum & operum esse constitutum? vt quæcumque fuerint prauæ leges & statuta ab initio quo creatæ sunt facultates, malè proposita & probata & quæcumque cum tempore iniuste adiuncta fuerunt per medicos falsos per empiricos per politicos in gratiam illiteratorum & seruilium ac

vilium

vilium miniſtrorum profeſſionis eſſe abrogata? Et medicos rationales in ſua dominia ſine ratione vſurpata redintegrari? Hæc eadem (Rex Iuſtiſſime) à D. Procancellario quæ tuæ ſunt conſtitutiones & decreta iuſtiſſima obtinere exoptabamus, quorum cum forſan eſſet inſcius te,nomine rationalis medicæ,profeſſionis vniuerſæ pro ſalute & vita tuorum ſubditorum tuaque & magnatum omnium, obteſtamur, vt tuum in tantis rationalis medicinæ calamitatibus & humanæ ſalutis & vitæ periculis & neceſſitatibus remedium diuino numine tibi inſpiratum vnicum,ſalutare D. Procancellario præſcribas perficiendum: & quod facultas medica Pariſina abhinc 200. annis per ſuos egregios rationales medicos & hodie per nos tuos Regios procurat,obtineat. Et jubeas vt D. Procancellarius per edictum tuum facultati ſignificet & mandet conuenire medicos omnes; vt quicquid in diplomate Regiæ iuriſdictionis tuæ conceſſæ Heruardo fuerit ad vtilitatem omnem publicam, non benè & integrè conſtitutum obliteretur, & quicquid defuerit adiiciatur, quod poſtea ad D. Procancellarium ſigillandum deferatur,vt poſtmodum in ſenatu ſupremo promulgetur.

Hæc poſtquam primarius Medicus ſummatim perſtrinxit: cæpit D. Procancellarius eloqui ſe in magna quidem commendatione & veneratione habere Medicinam rationalem,quam ſciret ex diuinis mandatis fuiſſe initio poſt natos homines à Deo creatã & commendatam ad ſanitatem & vitam hominum tuendam & reſtituendam à morbis. Sed pauciſſimos ſe obſeruare veros medicos qui ratione,hoc eſt exacta rerum medicarum generalium & particularium cognitione, & obſeruatione cauſarum & circumſtantiarum neceſſariarum ſine vlla vtilium rerum omiſ-

ſione, aut inutilium & noxiarum commiſſione, eam ſapienter, prudenter, peritè & probè exercerent.

Non ſatis tamen laudare ſe poſſe Regios medicos primarios qui re vera, tales ſunt, quales haberi par & æquum eſt, & quales in ſanando Rege ſeſe eſſe demonſtrauerunt; amplecti pariter & magnifacere ſe facultatem Medicam Pariſinam, quæ ſe ab Arabiſtarum corruptionum doctrinâ & deprauationum diſciplinâ repurgaverit, & ad ſufficiendos Hippocrate dignos medicos, ſtudiis ſuis aſſiduè contendat; in iis omnibus, quæ rationi, ſaluti publicæ & vitæ hominum cito & tuto tuendæ & reſtituendæ & rationali medicinæ integrè in ſua dignitate ſeruandæ conferent apud Regem ſemper procuraturum promiſit.

Rex vero, diuino potiùs quàm humano ſpiritu dixit optimè ſcire ſe, quorum maximè opera, poſt Deum, eſſet à ſuo morbo liberatus, agnoſcere ſe ſolam rationalem Medicinam, veram; Empiricam deteſtari vt falſam, odio habere Arabiſtas, ſemidogmaticos & empiricos, à quorum imperitiâ, in quam ab initio inciderat, Dei ope fuerit ſolutus & euaſerit, eruditis & peritis ſolis rationalibus & ingenioſis debere ſe ſanitatis & vitæ ſuæ conſeruationem & à morbis reſtitutionem; facultatem Pariſinam proſecuturum ſemper vt germanam Hippocratis ſcholam coam, & beneficia, quæ fuerint Regia, quia tam gnauiter pro veritate pugnauit, cum opus fuerit, in eam ſe collaturum, nec vnquam ab aliis ſcholis ſibi medicos aut pro ſe, aut pro ſuis adiuncturum, quàm quos ſchola Pariſ. genuerit, aluerit, numeris omnibus ſuis efformauerit & vndequaque iudicio & peritiâ perfecerit.

Ne verò quiſpiam dubitet, an vitia & maleficia, quæ in profeſſione nota ſunt, potuerint eſſe Rege tàm perſpecta, vt iis omnibus medelam adhibere

animo ſuo, per edictum (Mangonio Procancellario procurante& Heruardo poſtulante)ſibi propoſuerit; cum vtrique hiſtoria morborum profeſſionis non poſſet eſſe tam accuratè cognita; qui in rebus,perſonis, actionibus & operibus eius eſſent vix ſuperficie tenus inſtructi.

Quanquam dici poſſit diuina virtute ſalutem ex inimicis & de manu eorum,qui oderunt,poſſe comparari & iuſto pioque Regi cœlitus iſta inſperari potuiſſe; Certiſſimum etiam eſt ,ab altero ſucceſſore primario medico B. neceſsitatem iuriſdictionis in prædictis cauſis & effectis, fuiſſe Regi ſæpius declaratam; & amorem emendandorum tot malorum,ab eodem multoties Regi fuiſſe repetitum, inſinuatum & impreſſum. Etiamque factum eſſe Regem certum, munia & officia methodica cum ratione & ſcientia operandi manibus,diætetica, Chirurgica & Pharmaceutica tota eſſe artificialia, Medica, & ſola vt ſalutariter inculpatè & innoxiè fiant, eſſe Medicorum manibus propria ſolis,non alienis tractanda & peragenda, quæ tamen ſæculis ſuperioribus fuerunt ab Arabiſtis vanis & ignauis abdicata, & ad manus illotas, ignobiles & ſeruiles miniſtrorum mechanicorum & mercatorum ignariſſimorum tranſmiſſa, quæ iniquiſsimè & nocentiſsimè in ęgrorum certam perniciem & ruinam exercerentur.

Sed inſuper etiam monitum fuiſſe ab eodem, nullum ſuppetere facultati peculium ,quo ſuos demonſtratores medicos alere poſſet, qui in iis operationibus pharmaceuticis, chirurgicis & chymicis edendis verſarentur & occuparentur. Eumdem etiam in memoriam Regi reuocauiſſe edictum à ſe deſcriptum & definitum, quo Hortus Regius plantarum Medicinalium,in quo materia omnis medica cum re her-

baria contineretur, astrueretur, quod propositum & promissum etiamque in Senatu confirmatum est, sola tantum mente & idea conceptum fuisse, necdum è potentia in actum reipsa eductum nec vnquam educendum, nisi de suo ærario erogari fundum imperaret. Istis præmonitus Rex optimus, licet ærarium suum esset vndequaque impensis militaribus exhaustum, omnia tamen super erogaturum quæ necessaria ad opera tam vtilia viderentur, promisit; & ad quæ, ne quid obstaret, in gloriæ partem P. M. Eminentiss. D. Richelium inuitauit & pertraxit non inuitum. Postquam eum adiuit eique omnia prædicta aperuit, quæ habuit acceptissima & gratissima; Eorumque omnium summa & pręcipua capita, ne eorum memoria laberetur, fidelissimo D. de Noyers committenda iussit, vt cum à seriis & grauibus regni negotiis feriaretur Eminentissimi animus, medicis rebus, veluti leuioribus, non tamen minus necessariis & gloriosis incumberet ac recrearetur. Quinetiam monitus cum esset idem Eminentissimus ædes, scholæ Medicæ vetustate pene collapsas, præsentem minitari ruinam, istud etiam prospiciendum & cum Rege de omnibus deliberaturum promisit.

Interim vero dum expectaret primarius, mandatum D. Procancellarij ad facultatem iurisdictionis Regiæ medicæ recognitæ correctionem, & vniuersalis medicinæ regenerationem, exilium eiusdem Procancellarij ab aula, spem eius & expectationem si non prorsus ademit, multum distulit, & ea quæ postea exarserunt externa bella & interna quæ successerunt domestica dissidia, eam pene totam abstulerunt.

Recreatus tamen non mediocriter fuit, cum vidit illustrissimum D. Seguierium in supremo Senatu Præsidem, ad Procancellarij excelsam dignitatem esse

prouectum, quem ſperauit non minus fore rationali Medicinæ fauentem, & iuſtitiæ reddendæ profeſſioni medicæ propitium. Non enim multo poſt quam ad iſtud munus & officium ſublatus eſt, fundum, in quo ſitus nunc eſt hortus Regius plantarum medicinalium, comparatum eſt per opportunum, Sequanæ finitimum, ab ea riuulo ſeiunctum, largâ ſatis & aperta facie & planitie ſpatioſum, monte à boreali aſperitate obtectum, orientali & meridionali aëri liberum & expoſitũ, fonte viuo irriguum, plantis domeſticis & exoticis generis omnis locupletatum, & refertum, materia omni ſenſitiua, vegetabili & minerali tamquam officina inſtructiſſima, aut promptuarium inſtrumentorum omnium chirurgicorũ & pharmaceuticorum, & chymicorum ἐργαστείων pleniſſimum, in quibus præfecti horti, demonſtratores & operarii aſſiduè occupantur, & ſuas quotidie locant operas manibus propriis, docent & oculis candidatorum artis opera ſubijciunt, nempe, vt quotquot per galliam ſparguntur medici, pro antiquo more & officio, apud ægros artem ſalutariter exerceant, aut ſaltem imperitos per rectam medendi & operandi methodum dirigant.

Quibus omnibus, tam plantis caducis regenerandis & materia medica quavis rara & pretioſa comparanda aut recuperanda, quam præfectis horti, demonſtratoribus & operariis diurnis ſuſtentandis & alendis annua ſtipendia cuique congrua & honorifica ſua pro officio aſſignata ſunt.

Et poſt Broſſei, œconomiæ horti præpoſiti interitum (qui multum ad horti fundum & fundamentum ſtabiliendũ apud D. Bullioniũ contulerat) facultas ad eandem præfecturam culturæ horti, per primarium Medicum nominata ſucceſſura erat & mille libellas

annuas pro horti cura acceptura erat,per diploma à Rege probatum & à D.Cancellario sigillatum,Facultas tamen per litteras ad Medicum D.Cancellarij domesticum,qui tunc ad Nancei obsidionem,ei aderat, vbi literæ horti fuerunt obsignatæ,suo isti iuri,præfecturæ horti renunciauit,nec isti se officio mancipare & inseruire voluit, gratias tamen pro beneficio benevolentia & benignitate Regis erga se retulit immortales.

Sicque eo tempore fuit diploma pro ea parte retextum & sigillatum,& horti præfectura in eum qui placuit Regi transmissa est.

Cum igitur P. M. eo ipso tempore & loco ad D. Procancellarium venisset,vt de horti Regij diplomate sigillato gratias referret, deque iisdem moneret, quæ antea habuerat ad Regem, ad D. Eminentissimum Card. Richelium & ad D.Marilliacum, de statu professionis Medicæ, vt vitiis, maleficiis & damnis publicis,per falsos medicos,& politicos iudices qui iis fauebant & qui leges injustas ab initio,quo facultates fuerũt erectæ tulerũt & quæ postea prauæ multæ successerant, prouiderent: eosque statuisse iniustas illas leges esse abrogandas & alias iustas subrogandas; idemque faciendum esse de Iudicibus profanis & in eorum locum peritos artis esse creandos vt cum esset reformata ab omni parte professio,sarta, tectaque postea in sempiternum seruaretur,responsum non absimile ab eo dedit quod à D. Mariliaco fuit redditum, scilicet,Reges anteriores non minùs professioni isti per iustas leges & per iustos iudices proprios prouidisse,quàm aliis regni professionibus.

Ex hoc responso vt antea de D. Mariliaco,collegit Primarius etiam expectandum esse & sperandum accessuram necessitatem aliquam,qua iustitia postu-

lationis suæ & Regis voluntas,& veritas clarius D. Procancellario innotesceret,sicuti priori notior facta fuerat.

Ac sanè cùm eo tempore motæ essent contentiones lites & controuersiæ magnæ inter Medicos Parisienses de vsu & natura aquarum mineralium, quæ ad Senatum supremum delatæ fuerant; orta occasione theseos propositæ.Qua nocere sanitati, fœcunditati ac prolificationi, & morborum curationibus exponebatur,quam vt erroneam,& noxiã & publicæ, saluti, maxime verò Regis valetudini, & generandæ prolis Regiæ aduersam propositionem,omnium voce facultas improbauisset & reiecisset,& pertinax author non cederet facultati,sed ad Senatum prouocasset,nec posset à Senatu controuersia de materia sibi incognita terminari, ne cum aliis pluribus controuersiis facultatum, medicorum, ministrorum & profanorum professionis, de materia Medica indirempta,hæc etiam ad Calendas græcas relegaretur neve quid damni & detrimenti Reipub.& saluti hominum,ex quæstione hac & cæteris aliis indiscussis enasceretur,mandatum habuit à Rege D. Procancellarius, & ore proprio Rex in aurem insurrauit eum à quo potissimum hæc sententia aduersa prodiret, velle se ab artis peritis & probis medicis,quos primarius medicus secum iungeret,hanc controuersiam iudicari quod M. P. significatum fuit.

Sed quia edictum iurisdictionis nondum erat communi consilio medicorum facultatis reformatum,repurgatum & probatum,nec in supremo Senatu confirmatum ac promulgatum; maluit primarius mandato Regis parere & publicæ cõcertationi in scholis præesse, qua lis de quæstione aquarum mineralium conclusione affirmatiua terminaretur quàm contro-

uersiam cum minùs æquis iudicibus & arbitris agitari & controuerti.

Ex quibus D. Procancellarius cæpit animaduertere, aliorum iudicum, nempe peritorum artis & aliarum legum quam quæ latæ sunt à profanis iudicibus & politicis, magnam esse necessitatem. Sed cum subinde alia esset nata contentio inter Medicos Paris. & Renodotium qui falsos medicos per vniuersas vrbis partes velut seruos & mancipia spargebat; habebat enim domum suam velut synagogam meretriciam impuræ sementis doctrinæ falsæ, quo facultatem Parisinam æmulari aut potius obscurare & infamare conabatur, nomine charitatis qua pauperes per Medicinam subleuare se velle fingebat, sicut singulis septimanis facultas per suos medicos in scholis ægros qui huc conferre se aut transferri possunt, scripto, consilio & verbis adiuuat, etiamque, pro modulo quo potest, recreat beneficio.

Cumque Renodotius Curiæ supremæ senatoriæ censuras & iudicia formidaret, quæ semper pro facultate Parisina suis Senatusconsultis pronunciauit, eáque effugeret & assiduè D. Cancellarium fatigaret, vt sua litis definitio ad sacrum Regis consistorium, à quo fauorabiliorem gratiam sperabat, traduceretur, tunc pronunciatum est in sacro consistorio vt nõ modo lis cum Renodoto contestata in Senatu nõ terminaretur sed etiam vt tam nouas quæ acciderent in professione medica quam etiam antiquis clauiculis curię appensas contentiones indiremptas & indefinitas, quæ expectabant peritorum in arte recta iudicia Primarius Regis Medicus cum certo munero peritiorum & prudentiorum, medicorum dirimeret, quales sunt illæ quæ motæ sunt olim maniçatorum chirurgorum & tonsorum cum medicis facultatis, barbitonsorum

cum manicatis, pharmacopolarum cum medicis, medicorum & aliorum miniſtrorum inter ſe & profanos de iis quæ ſine cognitione perfecta medicinæ & materiæ eius tractandæ & vſurpandæ rectè iudicari nequeunt.

Ex iis omnibus ſatis notum fuit D. Cancellario Medicinæ profeſſionem indigere iuriſdictione Regia, quâ medici, periti & probi, in rebus perſonis & operibus ſuis medicis creandi eſſent à Rege proprij iudices, & leges iuſtæ aliæ eſſent ſubrogandæ, Quàm quæ ſunt à falſis medicis & profanis iudicibus artis ignaris latæ, & in omnibus repurgandam eſſe ſuis maleficiis profeſſionem.

Cum autem P. M. ſperaret omnes obices oppoſitos eſſe ſubuerſos, & impedimenta ſublata; Regem & DD. Eminentiſſimum Richelium & integerrimum Cancellarium operi promiſſo finem breui impoſituros, non ignaros ex rebus tanti momenti, tantæ vtilitatis, & tantæ neceſſitatis non minùs glorioſam & immortalem laudem eſſe conſecuturos, quàm ex aliarum rerum regni ſollicitudine? Quid enim ſanitatis & vitæ mortalium conſeruatione regibus eſſe poteſt glorioſius & laudabilius ſummis magiſtratibus? quidque iuuant ſecularia cùm ſalus & vita deſinunt, & cùm ea ſimul euaneſcunt? Ita etiam cùm poſt expeditionem longinquam, moleſtam & laborioſam, Eminent. Richelio mors ſuperuenerit, etiamque Regi iuſtiſſimo non multò poſt, maximo cum dolore & damno totius regni Gallici, vniuerſæ ſalutis populorum redimendæ, vitæ vindicandæ ab inſidiis falſitatum, & rationalis Medicinæ in antiquam veritatem, ſecuritatem & dignitatem redintegrandæ, ita etiam tota ſpes P. M. in Rege & Richelio collocata euanuit.

Qui postquàm ex tam grauibus publicis & priuatis molestiis modicum conquieuit, & apud se cogitauit Ergone etiam inulta morietur rationalis Medicina? Ergone, ignorantia, falsitas, error, temeritas & iniustitia in professione medica semper præualebunt? Ergone semper inimici nostri erunt iudices? Ergone medici semper esse videbuntur, & non erunt? nihil agent, aut malè agent, aut aliud agent? Ergone medici, medica sua medendi documenta, exercitia & opera, & officia propria rationalia & methodica, præstito sacramento, sicut prauę iubent antiquæ leges & statuta, semper abjurabunt, nec vnquam suis fungentur officiis propriis? suis in scholis perpetua seruabunt, chirurgiæ, pharmaciæ & chymiæ silentia? & suas ægris semper negabunt per suas manus opera medica salutaria?

An semper ministri medicinæ ignari tortores erunt? Volui tonsores; interfectores? volui infectores; venenatores, & necatores? volui mercatores; vt pro vilibus, seruilibus & mechanicis ministeriis sibi propriis magisteria medicorum semper peragant nobilia, libera, liberalia sibi impropria & imparia? An toto regno & æuo semper carnificina circumferetur pro medicinâ verâ? occulta pro rationali manifesta? impura pro purâ? spuria & falsa, & monstrosa pro legitimâ, verâ & optimâ ratione comparata? inferna pro diuinâ? noua pro antiquâ, malefica & venefica pro beneficâ? ancilla pro dominâ? atechnia & aniatria pro arte & scientia?

An semper inficietur, obscurabitur, deturpabitur, infamabitur, profanabitur, polluetur & sordescet à tabernariis, ignaris ministris, fugitiuis, extraneis, furciferis, apostatis, clinicis, mulierculis, & quibusvis obuiis perditis, & impostoribus; Hostibus humanæ

vitæ juratis, immunitate plus quàm barbaris? qui ſemper cruentas & mortiferas manus, pro ſalutaribus porrigent ægris, & venena pro antidotis, propinabunt? Et tamen pro maleficiis, beneficia, pro pœnis impunitates, pro criminibus, gratias & prœmia reportabunt de parentibus, conſanguineis, vicinis, amicis, gratis & officioſè, aut pacta mercede mactatis & deluſis?

Ergone irrita erunt Regis Ludouici Iuſti, & Emin. Richelij tam glorioſa, tam vtilia & tam neceſſaria ſaluti & vitæ hominum ſtudia, ſtatuta, poſita in iuriſdictione ad Senatum delata Regia Medica? hæ cauſæ fuerunt cur P. M. non inſcius, eſſe ſolius Regis iniuſtas abrogare leges antiquas & iuſtiores nouas ſubrogare, idemque de iudicibus iniuſtis ſtatuere, adhuc aliquid tentandum apud D. Cancellarium ſibi propoſuerit, non immemorem eorum quæ de profeſſione medica ſananda per iuriſdictionem illam audierat, ab iis viderat & quorum pars magna fuerat; Rogat vt iuberetur facultas, authoritate Regis, edictum Regiæ iuriſdictionis, cui interceſſerat retexere, & quę eſſent aliena expungere & ſola quæ ad vtilitatem & neceſſitatem publicam artis & ſalutis hominum conferrent, extruere.

Reſponſum habuit ab eo per Chambreum Medi~~cum eius~~, alia eſſe expectanda tempora, quibus per alium Primarium Medicum id perſequi & obtinere liceret, quàm per Cuſinotum, quem ſciebat cis paucos dies machinis & artibus malis aulicis, per Valterium, à comitiuâ & præfecturâ ſuâ medicâ fore deiectum, qui licet eruditiſſimus eſſet Medicinæ Rationalis Doctor & Profeſſor Regius & naturæ Regis quem ab incunabulis obſeruauerat, inſtructiſſimus; Valterius verò ignorantiſſimus eſſet empiricus, im-

pudentissimus, panurgus veterator & Faber aulicus dolorum & insidiarum fraudulentissimus, seueriorum quàm 12. annorum carceris pœnarum dignissimus, moribus & vita pessimus, violato tamen omni iure rationis & iustitiæ, aulico fauore, ad primariam dignitatem promoueretur; Ideoque nihil tunc esse tentandum suadebat, cùm nihil non euentus periculosi & perniciosi ab illo tam ignaro quàm nefario & infenso rationali medicinæ expectandum esset, postquàm isto munere primario & summo potiretur, ad damna quævis publica inferenda, abuteretur, & contra iuris rationem iniqua omnia susciperet, aggrederetur & obtineret, necnon consilia & iudicia omnia potius iniusta, noxia & contraria, quam rationalia, iusta vtilia, vera & salutaria suaderet & procuraret: Opportuniora aliquando forsan accessura tempora, quibus vitia & maleficia professionis, in toto corpore & partibus eius emendabuntur, ergo deinceps ab hoc opere sese abstinuit & cessauit P. M. Ex dictis, perspicuum est eumdem, quæ promiserat, præstitisse collegis pro medica familia & facultate, Medicos verò nec in schola, nec in Senatu suas partes & officia obiisse & sustinuisse, nec suæ intercessionis causas ad Senatum attulisse, nec opus susceptũ & institutum perfici, permultùm curauisse; non tamen animo malo crediderim, Sed quod ęgris suis addicti vacare publicis nequiuerint, qui vix domesticis & priuatis incumbere queant.

Vel quod annui Decani, qui communia scholæ negotia tractant & procurant, minùs suis sententiis consentientes habuerint.

Vel potius quod veriti sint habere Primarios Medicos Regum parum ęquos & probos doctrinæ ra-

tionali puræ & diſciplinæ rectæ, aut nullatenus ſollicitos ſecum iudices & arbitros, qui authoritate quâ valerent in aula Regia, omnia in ſua potius commoda priuata, quàm in publica conuerterent & pertraherent.

Ac licet is, cum quo conuenerant, eſſet Pariſinus collactaneus & collega ſuus peritiâ, probitate, & fidelitate notiſſimus, metuerent tamen, ne etiam poteſtate & authoritate Regia, iura & iudicia medica ſibi ſummitteret.

Vel etiam quòd crederent tot & tam grauia mala, tam multis ſeculis inueterata, habitus eſſe longiſſimis temporum præſcriptionibus obfirmatiſſimos prorſus inemendabiles & deſperatos, qui operas omnes eluderent & redderent inanes.

Sed præcipua, meo iudicio, cauſa fuit, quod D. Cancellarij vaticinio de Valterio, licet mortuo, moniti & moti metuerint, ne qui ſe ipſos ei mancipauerant Empiricorum anteſignano & coryphæo nequiſſimo & impudentiſſimo medicinæ pariter rationali & medicis verè rationalibus aduerſarii, in eadem præfectura ſimiles ſuccederent, tam iniqui, ignari & panurgi.

Quæ namque mala & damna Regiis Maieſtatibus anterioribus & Regno, totique Europæ non concinnauit, cùm vincula naturæ arctiſſimæ filij Regis cum Regina matre Maria Medicea, diſſoluit? Cùm regni tranquillitatem, totiuſque Europæ regum & principum pacem, ſuſcitatis vndequaque bellorum incendiis, ex ſparſis externis poſt interna, diſſidiorum ſeminibus, violauit? pro quibus malè iactis prauis conſilijs, duodecim annorum pœnis concluſus in carcere leuioribus & lenioribus quas promeritus erat, caſtigatus eſt?

A quo cum bonitate Regis Ludouici filij XIII. liberatus esset, vt ad Reginam matrem grauiter affectam morbo, eum mitteret, & quem ante vt medicum habuerat etiam in suo morbo præsente frueretur eodem; Absit, inquit illa, postquàm resciuit à carcere solutum esse eam ob causam, vt duplici pericliter periculo, morbi scilicet & medici Valterij, tàm mihi, quàm filio noxii & exitiosi.

Quas exinde adhibuit machinas malas, quas technas excogitauit fraudulentas & prauas, vt quibus fuerat falsis muliercularum commendationibus factus Mariæ Med. Reginæ matris medicus primarius, iisdem adhuc Lud. XIV. Regis fieret Primarius Medicus? nec veritum est, ne, vt parentem Regis diuortiis immortalibus filio dis-junxerat, iisque causas mortis manifestissimas & certissimas struxerat veterator, eadem damna, & dissidiorum & mortis maiestatibus quæ adhuc viuunt Dei gratiâ, machinaretur & fabricaret?

Quæ insuper iura publica & priuata? quas leges & statuta supremæ Curiæ & Facultatis Medicæ Parisinæ, & aliarum in doctrina & disciplina non euertit, non deprauauit, non corrupit? Quæ bona, quæ officia, quæ beneficia priuatorum, quæ iura Academiæ, ciuilia, & Ecclesiastica iniustissimè non abstulit? non eripuit? non vsurpauit? non possedit?

Quam sementem virulentiæ suæ empiricæ, ignorantiæ, falsitatum, errorum, fraudum, fallaciarum. In aula, per vrbem, & inde per vniuersam Galliam non sparsit? Quod exemplar effrænatæ audaciæ, temeritatis & improbitatis, agyrtis, circulatoribus & impostoribus sibi simillimis non exhibuit? An non, quæ hactenus visa non fuerat in aula progenies Empirica, quæque in vrbe, & toto regno erat rarior nunc

vbique locorum diffusa vberrimè luxuriat, & omnia quoquoversum destruit & disperdit, sanitates, fortunas, vitas & animas? Eaque cùm assiduè succrescat, succedat & propagetur ad posteros ecquis erit modus? semper deterior? Quæ ne quis existimet commentitia & ficta plenius alibi verissima esse demonstrabimus.

An ergo Medici Parisini sine causa, oppositionis suæ causas proferre in Senatum & retexendi Regii diplomatis licentiam postulare tardauerunt?

An generatio hæc Empirica & semidogmatica praua & adultera aulica & politica, corruptiones doctrinæ suæ & disciplinæ deprauationes & distortiones per iurisdictionem Regiam medicam etiam correctam, recoctam & regeneratam emendari sinet? per quam necesse esset primarios Medicos & aulicam ac politicam totam progeniem medicam reformari? eorum falsitates, errores & artes malas damnari? publicas & priuatas iniustitias & iniurias castigari? quæcumque iniquè possident restitui? & ipsos etiam totos denuò regenerari & renouari in puriorem doctrinam, aut exulare & amandari?

Certè, si quod in peste & lepra fieri solet, id in medicinæ professione obseruaretur, si ministri, empirici, falsi medici & politici, iniqui, atque ignari rerum & personarum medicarum à communi exercitio & vsu medendi & iudicandi, vt pestiferi & elephantici à communi hominum consortio, contubernio, societate & commercio auerterentur, & procul in alias terras transferrentur, haud dubiè veri medici nulla mora, ardenti studio & cura hoc negotium intercessionis suę soluendę, & eiusdem retexendę & reformandę tunc aggrederentur, susciperent & adimplerent, nec vllas tarditatis moras adnecterent.

Si, quod D. Augustinus peroptabat in Ecclesia Christi obseruari, nempe vt hęretici similiter atque leprosi secederent à fidelibus; Quid enim aliud est hęresis (inquiebat) quàm vera lepra, quæ vt corruptis humoribus sanguini permistis, cutem maculat, sic orthodoxę fidei dogmata diuina permistis falsitatibus inquinat, hæresis & corrumpit. Si etiam id ipsum in medica professione obseruaretur & obtineri posset, vt falsitas impuritas, ignorantia, error, corruptio, prauitas, licentia, impunitas medica, politica, aulica, quæ leprâ quauis & peste sunt capitaliores & deteriores à veritate, certitudine, rectitudine, puritate, fidelitate rationalis medicinæ secederent; si lolia, hæc zizaniæ, & acconita ab horto medico eradicarentur, si ægrorum de falsis medicis & ministris opinio concepta deleretur, si à foro medico iudicia falsa politicorum exularent, si ministeria & remedia falsa, indeterminata & irrationalia seu ἀμέθοδα ab exercitio medico excluderentur. Si scientia, & operatio methodica, peritia & probitas antiqua Hippocratis & græcorum postliminiò reuocaretur & regeneraretur. Si Facultas Parisina medica sibi conuenienti ac propriâ iudiciorum suæ professionis libertate Regiâ vt cœteræ solent professiones, gauderet & frueretur, haud dubiè indirecta omnia in vias rectas, & aspera in vias planas; salutis, iustitiæ & fidelitatis professionis medicæ conuerterentur, & ab ea omnis falsitas, iniuria, deceptio, insidiæ vitæ calamitosæ, & mala reliqua, quamprimum obliterarentur; & ab aula, à Regia, ab vrbibus, & ab vniuersi regni finibus non secùs, ac lepra contagiosa & pestis mortifera eliminarentur. Et Medici rationales nullâ morâ, ab accusatione longioris suæ tarditatis sua cura & laboribus sese assererent & vendicarent, medelam à regiæ iurisdictionis

regeneratione

regeneratioue & reformatione summo studio & diligentiâ persequerentur & desumerent.

Sed cùm miseris hisce temporibus ignorantiæ, perfidiæ, iniustitiæ, nequitiæ & improbitatis, circumfluāt medici ignorantissimi tam innumeri, & tam pauci sint (inquit Hippocrates & vt nobis obiecit D. Mariliacus) veri rationales & legitimi. Quorum magna pars professionem suæ artis in antiquam gratiam, gloriam, veritatem & dignitatem renouari & restitui posse desperet; inde fit vt multi loquantur cum angelo, qui nocet noceat adhuc & qui in sordibus est sordescat adhuc, sic vixere patres nostri, sic viuemus. Quanquàm contrà pars sanior, quæ est paucior & parcior, in contrârium sensum secedat, & cum altero angelo clamet, qui iustus est, iustificetur adhuc & qui sanctus est, sanctificetur adhuc, qui pro Medicina rationali stat, sedeat, retineatur; qui contrà fuerit propheta falsus, hypocrita, paries dealbatus irrationalis, ἄνοητος, abscedat, tepidus euomatur, timidus diffugiat, vt enim tenebrarum cum luce, mortis cum vita, morborum cum sanitate, falsitatis cum veritate, erroris cum certitudine, temeritatis & perfidiæ cum scientia, probitate, & iustitiâ nulla possunt esse commercia; sic Medicinæ rationalis cum ἀναγνίᾳ & nequitia, nulla interuenire possunt consortia & coniugia: Medicina, tota diuina, ratione, reque ipsâ veritate & corde, atque virtutis & libertatis ac liberalitatis amore credi & coli vult, non ore ipso solo, non specie tenus, nec formidine seruili honorari: Abeant ergo qui curios simulant, qui se ratiorationales medicos, genuinos ore & habitu ostentant, qui tamen in dignotione, prædictione, curatione & iudicio morborum, quæ sunt tentationum probationes particulares, à veritate, certitudine & iusti-

tia procul recedunt, qui talos in omnem aleæ & fortunæ euentum proiiciunt; nesciunt enim insani illi quantas vires Medicina habeat; nomen tantùm Medicinæ & Medicorum vsurpant; quid ipsa valeat, ignorant? contra quos ira Dei est, quam veri rationales & fideles magis metuunt, quàm iniqua hominum iudicia, quæ in sola corpora sæuiunt, cum diuina vsque ad medullas animæ penetrent & subeant.

Sciunt rerum veri fideles & legitimi, quantò se alacriores, instantiores & fortiores præbuerint in asserenda libertate, veritate, securitate, fidelitate, & constantia suæ artis, in tuenda sanitate & vita regum, principum, summorum virorum, & omnium, & in impugnandis aduersariorum falsis curationibus & iudiciis, in auertendis criminibus & maleficiis noxiis & mortiferis, & in iis, quantò laboriosiora & vrgentiora fuerint operâ & studia sua, tãtò fore sibi apud Deum, & homines consilia sua & exercitia salutariora, gratiosiora, & gloriosiora.

Cur ergo politici & aulici nõ obijciant, non posse dici rationales, salutares, gratiosos & gloriosos, qui tamdiu tardant in opere suo, tam necessario procurando & perficiendo, quod tam expetiuerunt & exoptauerunt? Facultatem accepimus multoties vsam iure suo aduersus medicos suos & alienos seu circumforaneos, & Empiricos, & aduersus ministros, qui in publicam vtilitatem salutis humanæ, & priuata commoda, dignitatem & gloriam medicæ professionis peccarent, qui ignoranter, infideliter & malitiosè sese in suis officiis gererent; Suo iure vsam aduersus suos, qui cùm illicitè, vt aiebant, practicantibus seu Arabistis, seu semidogmaticis, seu empiricis medica haberent consilia & commercia: nec aliter cum iis conuenisse, quàm Pharisæos cum Samaritanis: Quinetiam bellum gessisse perpetuum cum eiusdem farinæ Tur-

quetis, Quercetanis, Libauiis; & quarumvis sectarum in Medicina vera hæreticis. Eam, ministros suos chirurgos iuratos & manicatos humiliauisse & disiecisse, & in eorum opera & officia tonsores admisisse; Pharmacopæos ab imperio magistrorum se subducentes humiliauisse, & iustè ad ægrorum commoda & securitatem, modos comparandorum & parandorum medicamentorum clinicis astantibus demonstrauisse: Qui pharmacopæos docerent, formulas medicas deligendorum, præparandorum & componendorum medicamentorum ad benè medendum medicis conuenientes & proprias mulctauisse.

Etiamque eos qui opera medica chirurgica demonstrarent, licet à suis maioribus essent repudiata, vt suis manibus & dignitati indigna & inhonesta eo tempore credita, castigauisse.

Cur non etiam hodiè tonsores, iuratis & manicatis ignariores & ingratiores in suas tonstrinas viles & sordidas relegant, & sua ab iis non repetunt dominia proprijs manibus colenda? cur suos scalpellos, cultellos, forfices, ad dissectiones in suis theatris administrandas non resumpserunt? & illiberales atque illiteratos à suis officiis liberis & liberalibus non prorsus deturbauerunt?

Cur non tot cynomyias, tot cynifes, tot bruchos, tot locustas falsorum medicorum ministrorum, empiricorum, qui fructus suos vsque ad fœnum corrodunt, non abijciunt? Cur ignauum fucus quod non mellificat inter eos, sed omne Medicinæ mellificium alibile sanguineum sua fatuitate labefactat, corrumpit & destruit, à suis præsepibus non eliminant non arcent?

Cur etiam Politicos judices, qui ponunt pluuias, eorum grandinem & ignem vrentem in terra eorum

non exterminant aut extinguunt? Cur tot apros de sylua, qui plantas & germina horti Medici & Academici Regii hæreditatem totam & lætas segetes subuertuut, non eliminant?

An non hæc propria sua sunt prædia & possessiones & dominia medica? cur hæc tam culta noualia barbaris, impiis sinunt occupari, quæ tam sua sunt quam medicina, sua methodus, sua ratio, sua alimenta & remedia, suaque opera salutaria?

Vt gentes suam habent legem naturalem secundum quam naturaliter agere possunt quæ legis sunt naturalis, & ipsi sibi sunt lex, sic sibi ipsis medicis, medicina est lex, natura propria secundum quam rectè agere soli possunt, ipsis solis testimonium reddente conscientiâ suâ. Quis hæc impugnabit? & de iis contendet cum medicis? quis sibi hæc audeat tribuere?

An fuerit rex aliquis, aut Pontifex, aut Magistratus qui eos eiiciat ab opere suo quod soli possunt & debent, si velint, obire rectè & perficere?

Quis Timon tam μισάνθρωπος aut quis de Iudæa gente veritatis impugnator, & tam obstinatus contemptor, qui Empiricos, falsos medicos, ministros, & iudices, theatrales doctores peregrinos & personatos medicos, vt Mondorios, Seminios, Valterios, apostatas Castaneos, Minimos, cucullatos & id genus perfidos impostores, rationalibus, peritis & probis anteponere velit aut sustinere audeat? eosque saluatoribus medicis admiscere & anteponere velit?

An reperiri hodiè possit vllus humanæ naturæ & generi tam manifestus & infensus hostis, tam audax iustitiæ, veritaris, salutis & vitæ expugnator, tam impudens ignorantiæ, errorum, fraudum & improbitatum assertor, tamque delirus mente, & ridiculus, qui nesciat regulam rectam medicam veritatis, certitu-

dinis, rectitudinis, iustitiæ, salutis & vitæ tam Regum quàm aliorum hominum integrè conseruandæ, diuque producendæ, solis Medicis peritis & probis esse propriam negare audeat, eiusque veritati obsistere?

Dicent forsan cùm aliquid contentiosum in doctrina & disciplina nascitur, seu contra sycophantas & nefarios Empiricos, seu contra ministros ignaros & maleficos, seu contra discordes & degeneres collegas, indigenas & alienigenas, ne antiqua exempla multa sed recentia sola commemorem, quæ de aquarum mineralium vsu fuerunt diuortia contra factiosas theses & criminales, de Antimonij viribus & modo præparationis contra insulsum libellum, vnde exorta sunt inter rationales Medicos Paris. de mitificata eius securitate implacabilia dissidia, & nuper de thesi hac, an pleuritidi inferæ initio leuior purgatio: à qua tumultus, digladiationes litigia aspera, nullo enim iure Regio gaudet facultas, quo eas quæ de deprauata professionis disciplina, deque corrupta & perversa doctrina nascuntur lites, dissidia & iurgia componat & dirimat: Quin statim ad forum prætorianum & inde ad Senatum confugiant & prouocent malitiosi, vt lis tota indirempta ad Cal. Græcas relegetur eorum quæ sunt doctrinæ, aut iniqua iudicia reddantur, eorum quæ sunt disciplinæ, ignorantium fauore & gratia: sicque errores vitia & maleficia maneant inulta & impunita, & fomenta renouandorum dissidiorum non solum opinionum sed etiam voluntatum, oppugnandi, litigandi, nocendi, & tegendæ ignorantiæ, errorum, maleficiorum, impunitatis & licentiæ perfugia assidua.

Sic exorti sunt stolidi & insani de ordine qui asse-

ruerint olim absurda multa; puta merobibas esse non vini sed pituitæ potores, elephantiasim & hyderum & carcinomata esse sanabilia, & ridicula alia, sic nuper insulsus, nec chylum ad hepar per vias assuetas transferri, nec sanguinem in eo confici, nec ab aliis partibus famulantibus defœcari, & partes ad ea perficienda munia esse frustra à natura factas affirmare ausus est; illos olim facultas pro suo iure castigabat, Medici posteriores quosvis fucos ignauos mellificia Medicinæ destruere impunitos patiuntur. Fateor quidem vnicum D. Riolanum antiquiorem scholæ & professorum Regiorum Magistrum, æmulum paternæ virtutis eruditionis & peritiæ caput insani lixiuio sui elleborismi bellè tersisse. Sed oportuerat matrem facultatem valde offensam sua contra degenerem genituram seueritatis & castigationis vti scutica. Sed esto sint proscripta longo vsu ista ad iudices profanos perfugia, vt maneant iudicia aut iniusta, aut relinquantur indefinita, vt eludatur error omnis, pœna, & tegatur eorum ignominia: Cur hodie non tollit facultas antiqua hæc impedimenta præsenti remedio edicti Regij Medicæ iurisdictionis & Medicorum iudicum peritorum & proborum creatione? Cur abhinc 40. annis tarditas eius tanta? an non officia sua deserere quàm desiderare malle; arti suæ, publicæ saluti, Regiæ voluntati & propriæ dignitati aduersari, in ignorantiæ nequitiæ corruptionum, peruersitatum doctrinæ & disciplinæ, suæ ignauiæ incuriæ & obliuionis perpetuis tenebris versari, quàm in apertam gloriæ antiquæ suæ perditæ lucem proferri videtur?

* il faudra copier ici la page additionelle qui est dans mon exemplaire, et qui n'est pas dans celui ci —

An rationales ſunt qui fatentur à ſe ipſis de ſibi mederi nolle, nec aliunde medelam certam ſibi ſalutarem & glorioſam recipere velle? nempe à Rege & à ſupremis Magiſtratibus? An repulſam habebunt à Rege filio, qui tantam gratiam à Patre Iuſto, & à toto ſacro conſiſtorio receperunt? An à ſupremo Senatu rejici timent, quem gloriari poſſunt ſemper habuiſſe beneuolum, fauentem propitium & beneficum? vt nuperrime contra Renodotum? atque etiam paulò ante rogatus idem Senatus vt codex medicamentarius ederetur (quem pharmacopœi haberent vniformem) Senatuſconſultis ſuis abhinc 100. annis cõficiendum decreuit, & tandem obtẽperauit poſtulationi & imperauit?

An ergo ſi quod tam ſummè ſalutare eſt, vtile, neceſſarium & vniuerſale ſaluti & vitæ hominum omnium totius regni, ipſorum etiam regum, principum & magnatum medici non tardarent poſtulare & procurare, nunquam etiam Senatus ipſe tardaret poſtulatis ſatisfacere?

An non potiùs gauderet, internos tot hoſtes natos in ſanorum & ægrorum perditionem, tam popularium, quàm ſummorum virorum, principum & Regum ipſorum, transferri ad barbaros & infideles, quam Chriſtianis tam infandam ſpecie ſalutaris medicinæ rationalis adferre ſalutis & vitæ perniciem & ruinam? cùm nulla damna aliarum profeſſionum cum iis, quæ ex medica quotidiana licentia impunè permittuntur ſint magnitudine comparanda, quæ non alia ſunt quàm veneficia, cædes & homicidia, nullis ſatis ſeueris pœnis & ſupplieiis caſtiganda?

Cumque ſupremus ſenatus in alium finem, non ſit inſtitutus à Deo & à Regibus, quàm vt regni ordines omnes in ſuis legibus cum pace, libertate, concordia

& societate tranquilla custodiat, nec fraus vlli & iniuria fiat; quàm vt omnes, tam sani suæ valetudinis integritate fœliciter & diuturnè traducendæ fruantur, quàm vt ægri sua verâ, certâ & rectâ curandi methodo rationali, per causas sub eodem senatu gaudeant?

An de aliis magistratibus intellexerunt legislatores, quos curam habere publicæ salutis voluerunt quàm de Senatoriis illis supremis & primariis regni & Reipub. administratoribus & custodibus? Medici ergo dubitare non possunt, sed potius certissimè asserere debent, eos ignorantias, errores & fraudes omnes in sanitate tuenda aut restituenda & vita conseruanda, seuerè castigaturos, & ne tot mala quæ ingruerũt, diutius perseuerent aut amplius succrescant, modis omnibus intercepturos? hisce maximè calamitosioribus temporibus, quàm anteactis, quibus plura & grauiora vitæ & necis ingeruntur & intentantur discrimina ordinibus omnibus, non infimis modo, sed mediis & supremis, quæque augentur in dies inemendabiliora & irreparabiliora, ni maturè, regio diplomate velut vnico & singulari remedio occurratur, & per illud summè expetitum & necessarium tot mortiferis causis & instantibus maleficiis & casibus finis imponatur & medela vera pręscribatur: ægrorum sanitatis & vitæ securitas stabiliatur, Ignorantia obliuio, negligentia, incuria tam dormitantium, per tot sæcula, legislatorum, regno tam ignominiosa à qua tot mortalium productæ & profectæ sunt clades & excidia, prorsus tollatur obliteretur & desinat: quod solâ fiet iurisdictione Regiâ Ludouici XIII. Iusti, reformatâ à peritis artis & in supremo Senatu probatâ & confirmatâ.

An vltra metuerint à Regibus, & à supremis consistorianis & senatoribus, quorum vnus est *spiritus*,

vnum

vnum munus, vna oneris, muneris,moris, poteſtatis & inſtitutionis partitio & participatio à ſummo Rege cœli & terræ iis ſimul largita, à quo habent ſolo vt edicta, leges, ſtatuta, conſtitutiones & iudicia in vniuerſum,ordinibus omnibus, & ſingulis eorum in particulari ad publicam & priuatam vtilitatem,veritatem & iuſtitiam examinent, decernant & diſtribuant, contentiones lites & diſſidia de rebus,perſonis & operibus quibuſque ad ſtateram dirimant & poſtremis ſuis iudicijs, ſua cuique iura propria determinent? Quos in terris iuſtitiæ Deos eloquia diuina nuncupant, & Dei ſummi vicarios, Regum & Regni columnas firmiſſimas? Quos ipſimet Medici millies experti ſunt ſibi fauentes & propitios rationali ſuæ profeſſioni? Metuerint ne hodie, ne pro ignorantia, falſitatibus, erroribus, prauitatibus, fraudibus, impoſturis falſorum medicorum, empiricorum, miniſtrorum & politicorum quidpiam decernant & pronuncient? neve vt infideles & perfidi nunc præuaricari vellent?

An aliquis vnquam obſeruauit eos ab vniuerſali hoc veriſſimo,vulgari, tuto & ab omnibus probato axiomate defeciſſe; quod eſt perito cuique & probo in arte ſua & profeſſione credendum eſſe,& ab iis ſolis iudicibus propriis,de rebus, perſonis & operibus eiuſdem artis vera, certa, recta & iuſta reddenda & expectanda eſſe iudicia?

An non ipſi didicerunt ab anteceſſoribus ſuis iuris Hippocrati,in iis quæ Medicinæ ſunt huiuſce rationalis, fidem eſſe adhibendam? Cur ergo metuerint medici rationales ab iis pati repulſam? nec credi Hippocratis hæredes legitimos? cur ergo non etiam habuerint,vt cœteræ aliæ profeſſiones, medicam ſuam iuriſdictionem Regiam,quam Rex iuſtus,

& minister eius summus Card. Rich. doluerunt in huius regni dedecus tamdiu fuisse oblitã & omissam?

Et supremus Senatus, sæculis superioribus, de professionis Medicæ tot & tantis vitiis & maleficiis corruptionum & deprauationum doctrinæ & disciplinæ non tam clarè admonitus; nihilominus de eius veritate & integritate tam benè sensit vt semper in eius fauorem & gratiam statuerit; quantò magis hodie de ignorantia erroribus & criminibus, quibus professio miserè vexatur verius & certius instructus, adhuc se fauorabiliorem & gratiosiorem præbebit? Et gratius habebit edictum regium à peritis artis recognosci, reformari & regenerari & postmodùm à se promulgari, quo corrupta omnia, & peruersa emendentur & corrigantur? cum rationalis hæc Medicina cæterarum aliarum archetypus & regula à deo data hominibus, vt ad eius normam & formam aliæ artes exerceantur: Ipsaque etiam princeps & regina Iurisprudentia eodem se modo gerat & componat, scilicet ex causarum & circonstantiarum notabilium & essentialium notitia exactè perquisita, quæ iusta sunt in genere & in particulari iura & iudicia quotidiana decernat: an non ad eumdem modum, ab omni æuo & à mundi exordio rationalis medicina idem agendi omnibus exemplar dedit in docendo, dignoscendo, prædicendo, medendo, operando, exercendo & iudicando, doctrinam, consilia, auxilia remedia, & opera sua dispensat; generalia & particularia cuique propria pro notitia certa causarum naturalium, non naturalium, & contra naturam distinctionum, limitationum & circonstantiarum natura & differentiis? Quid ergo metuant medici ab iis qui hanc rationalem methodum in forensibus publicis & regiis rebus & personis tam arctè tenent &

accuratè defendunt?

An quod ignorent regulam hanc à solis rationalibus Medicis sedulò diligẽterq; obseruari solitam maximè in Apollineo consessu Parisino, cuius vrbs tota, cum suis ordinibus omnibus testis est locupletissima, candidatos nullos Medicinæ, ad sacra eius mysteria capessenda & ad exercitia theoretica & practica edẽda, admitti palàm in schola & apud ægros, priusquàm naturæ suæ aptitudinem & ingenium excultum & instructum optimis artium liberalium disciplinis ad capessendam tam sublimem, tam salutarem & tàm diuinam scientiam necessariis ante demonstrauerint, nullos manumitti ad curandos ægros nisi selectos, nisi maturos, nisi perfectos & numeris omnibus, longo vsu medendi, cum magistris ducibus consummatos, & absolutos; Quorum fidem facere possunt ordines omnes superiores & inferiores, academici, vrbani, ciuiles, ecclesiastici, politici, & aulici singulis septimanis ad exercitia publica lycei & gymnasij medici conuocati & inuitati ante sesquibiennale pensum emensum & confectum, vt agnoscant omnes quales quot & quantos schola concipiat & generet fœtus omni exceptione maiores, quibus suam sanitatem & vitam cum omni securitate & fiducia credant & committant omnes: illudque quotidie experiantur in vrbe, in aula, & in propriis ædibus, cùm eos ad suos ægros aduocant, vt sua tam iusta ægris proferant consilia & præsidia propria, quàm ipsi pronunciant sua iusta litigantibus senatusconsulta.

An ergo regulam hanc, medicinam rationalem solam veram, rectam & certam sapientibus propositam quam soli rationales periti, probi & fideles medici in genere & particulari iustè definire & accommodare sciunt & per proprios effectus demonstrare, ab igna-

ris & iniustis applicari quibusque vt plebeiis sic sibi & regibus & aliis passuri essent vt continenter periclitarentur & in profundum præcipites demergerentur & perirent? an non potius in vado & tuto portu salutis in posterùm per reformatam iurisdictionem Medicam, obsignatam & confirmatam collocari & consistere desiderabunt?

Absit ergo vt vnquam de iustitia, peritia & fide virorum tam sapientum, prudentum, integrorum & fidelium dubitetur, in quorum medio consessu ita stat Deus & habitat vt iustitiæ trutinam & examen eruditionis & peritiæ in hominum ruinam, perditionem & interitum, & in rationalis artis corruptionem & peruersionem per praua senatusconsulta, aut inconsulta responsa nunquam deflectant.

Absit vt tam multa sua, variis temporibus pronunciata decreta solennia senatoria quibus falsorũ medicorũ & empiricorum & ministrorũ exercitia & opera mala damnantur, eorumque authores & impostores ab ægris, ab vrbe, & à regno eliminantur, fieri velint tam irrita & tam iniusta, vt legitimos stationarios, notos, amicos, indigenas, illegitimis, profugis, inimicis, apostatis, nothis empiricorũ geniminibus & improbis, beneficos, maleficis, sapientes, stultis, rationales, irrationalibus seu animalibus, salutiferos, mortiferis, siccariis & veneficis postponant. Quid enim aliud esset quam velle illos improbari & exulare, hos probari & retineri? Seque ipsos & quosvis magistratus dominos, rectores vrbium, pronunciarum, ecclesiarum & regnorum à suis officiis, professionibus, ædibus, possessionibus, prædiis, ciuitatibus, prouinciis, regnis & thronis dejici, & barbaros, fures, tyrannos in eorum locum introduci & intrudi?

Senatus quotidie vitia, maleficia, rapinas, latroci-

nia, fraudes & malas artes corripit & castigat, quibus sæpe de pecuniola, de supellectile aliqua & leuiusculo momento & pretio agitur. Quantò magis homicidia, veneficia & crimina capitalia & mortifera, quæ quantò magis specie officij, beneficij, gratiæ & amicitiæ fiunt, tantò fallaciora, deteriora, grauiora censeri debent, & quantò magis arcanorum nomine occulta prædicantur, tantò etiam suspectiora & fraudulentiora iudicanda, ideoque grauiùs & seueriùs à supremo senatu venient punienda? Et quantò magis temeraria & licentiosa politicorum falsorum de rebus & personis medicis iudicia in vrbes admittunt sectarum omnium empiricarum & falsorum medicorum & ministrorum illiteratissimorum & imperitissimorum, velut furiarum infernalium agmina, ad immania quæque sanitatis & vitæ distruendæ maleficia. Quis dubitet senatum, tantò liberius & it stius suis decretis iudicia ista tam iniqua resci ssurum & iust s pœnis castigaturum? Pestis mortifera & elephantiasis horrenda pro sanitate & vita hominum conseruanda adegit magistratus summos illos ab omni memoria præscribere contagiosorum fugam & exilia ad vitanda eorum contagia, ideo etiam Deus olim iudices institui peritos instituit, qui lepram à lepra discriminarent, & ab aliis discrimen quæri, deque ea iudicare alios quam peritos prohibuit.

Quidni eadem ipsa obseruari velit Senatus in medicina, vt sint periti qui empirica & falsa dijudicent opera & iudicia, non minus contagiosa, fatalia & mortifera quàm pestis & lepra, vt pariter sint exterminanda? an vlli fuerint summi Pontifices, Reges, principes, magistratus qui decreuerint, vt ij qui per rationes, per causas veras de rebus & personis me-

dicis soli verè rectè & iustè iudicare didicerunt, & per effectus congeneres ac proprios ea demonstrare exularent & eliminarētur? & inscij, ignari, imperiti, & immeriti retinerentur & impunè per mortes continenter grassarentur? vtque res tanti momenti, quanti est sua & populorum sanitas & vita, ignorantiæ, imperitiæ, improbitatis præsentibus & indubitatis periculis assiduè exponeretur? an non potius agi summo iure cū ignaris, temerariis & improbis statuent, qui non solùm de aliorum corio & vita impudenter & impunè sed etiam sæpius de suo proprio Deo permittente ludunt? & in eas quas parant alijs foueas & laqueos incidunt?

Quantâ curâ & gaudio curia vtraque aulica, & forensis, & totius regni ciuitates, vrbes & populi exultabunt, postquàm audiuerint luem hanc empiricam, falsam & iniquam toto regno circumfusam, ad stygiam paludem & adleruam malorum, vnde emanauit & emigrauit, senatusconsulto esse breui remigraturam, & Syluij vaticinium ante centum annos prædictum & expectatum aduenisse, & iam supra commemoratum iuuat repetere.

Epist. ad lectionem præfixa sex lib. in meth. Gal de causis cōmunib. mor. & sym.

Afferet hæc nobis, inquit, aliquando optantibus auxilium, & impostura hæc scelestissima aut legibus nouis mutationem accipiet, aut sycophantæ ipsi aliquo breui aufugient in gyaras, in lapidicinas in heremos conscientiâ scilicet ignorantiæ suæ ac iniuriarum ceu spinâ confixi, vt labore vt lachrimis eluant quæ peccant iniquissimè, nisi ante de gradu deijciantur & vrbe extrudantur à ciuibus toties tam grauiter per hos delusis.

Ad hanc ergo spem mutationis rerum & personarum medicarum renouandæ Senatum interpellant, medicina & Medici rationales, ægrorum, sanorum,

& ordinum omnium, regum etiam ipſorum incolumitas.

Medicina, inquam, ſpeciali Dei dono data mortalibus, quam nemo ſapiens in infirmitate ſua abhorrere tenetur; Medici, quos propter ſuam ſcientiam & diſciplinam honorari & in conſpectu magnatum laudari Deus præcepit mandauit, & quia ſunt neceſſaria eorum opera; & à Deo definita ſunt tempora quando homines in eorum manus incidant.

Ægri vero & aſtantes eorum, qui ſeriùs pœnitentia ducti ſuæ nimiæ credulitatis deluſæ, veluti deſperati & moribundi clamant ad politicos iudices qui tenebriones iſtos, humanæ naturæ hoſtes iuratos in ſuam perniciem & interitum licentia ſua immani, vt exanimarentur introduxerunt non examinatos nec probatos.

Sed quis dubitet Majeſtates Regias & Pontificias, principes & poteſtates ſupremas, medias, & ordines omnes, populos ſanos & ægros etiam cum medicis ægris & ſanis collætaturos cùm ſciuerint tam ſalutariter & iuſtè conſultum & ſatisfactum eſſe ſanitati & vitæ ſuæ, hiſce temporibus ab imminentibus periculis liberatæ & aſſertæ, nec ſe amplius in delectus diſcrimine verorum à falſis medicis, miniſtris, empiricis & politicis iudiciis verſari, nec deinceps ab iis circonueniri & decipi poſſe, ſed in vtramque aurem dormire per medicos peritos, probos & fideles quibus confidant?

Cùm ſciuerint ignorantiam, inertiam, imperitiam, errores, temeritatem, fraudes & maleficia in docenda, diſcenda, facienda & exercenda doctrina vera, pura & incorrupta prorſus aboleri, & in diſciplina etiam omnia cum ratione, arte, iudicio & conſilio recto & cauſarum omnium generalium & particula-

rium certa cognitione, industria mentis & manuum dexteritate & peritia peragi?

Non amplius, quod tantùm fit per accidens & rarissimè iuuat, iudicari esse perpetuum: sed solùm quod per se & semper: non amplius venenum pro antidoto sumi, ἀνιατρίαν & ἀτεχνίαν captiosam & exitiosam pro arte rationali, vera, certa & salutari vsurpari: nunc Empirica, falsa, ficta, specifica, occulta, incerta, dubia, suspecta & insidiosa reprobari, sola rationalia ex causarum perspicientiâ benefica & salutaria probari & retineri; non amplius politicos cum falsis medicis, empiricis & ministris in communem defensionem conuenire, non amplius falsos etiam medicos in vrbes suâ licentiâ admitti, nec ægros ad se & ad ædes suas aduocare eos, à quibus decipiantur, nullos fore deinceps commendatores falsos & proclamatores agyrtarum, & impostorum, nec vllos fore incautos & credulos qui decipiantur & decipiant, demùm nullum non modo regem, principem, magnatem, consistorianum, senatorium, præsulem, forensem, ne quidem plebeium & infimum specie veri & salutaris præsidii & remedij in posterum posse vllo modo periclitari & sibi noxæ cuiusvis leuissimæ suspicione teneri & agitari. Cum soli naturæ & artis magistri periti & probi medici rationales, sapientes, prudentes & instructi, actores & rectores naturæ eiusq; virtutes & infirmitates, materiæ inconstantias & latentes dolos, & motiones externas & internas, & vtriusque errores cognoscant, soli etiam qui præsentes iniurias arcere, præteritarum meminisse, venturas præuidere & instantes anteuertere queant, & arte sua ac iudicio facere, vt errori, seu in dignoscendo seu prædicendo, seu medendo, seu iudicando, seu operando, non sit locus vllus; vbi enim ars est vera, &

iudicium rectum, ſemper iuuat, nunquam nocet, nunquam lædit.

Quis dubitet quantùm ſenatorij ſupremi iudices recreabuntur nullos ignaros, imperitos, illiteratos & illiberales, falſos medicos, miniſtros, & empiricos, nulloſque temerarios & iniuſtos, nullos in rebus & perſonis medicis contra politicos iudices reperiri, qui contra hoc antiquiſſimum, veriſſimum & probatiſſimum, vbique locorum & gentium axioma receptum, amplius peccent, peritorum & proborum in arte ſua, maximè in medicina (ad quod probandum hoc exemplo vtuntur) medicorum tantum, non aliorum eſſe de rebus & perſonis ſuæ profeſſionis rectè iudicare?

Quantùm gaudebunt nullas in poſterum lites, contentiones & diſſidia de doctrina & diſciplina huiuſce profeſſionis ad ſe referri, quæ non fuerint ante à peritis & probis medicis, primis iudicibus per regiam iuriſdictionem conſtitutis, examinata, diſcuſſa & iudicata, vt ſua poſtrema Senatores reddant vera, recta & iuſta iudicia? nec ſint amplius in 100. annum aut ad Calendas græcas relegata, nunquam terminata? Qualia fuerunt innumera relicta indirempta, ſupra generaliter in exemplum adducta?

Mandauit Deus cuiq; Chriſtiano, vt ſollicitudinem habeat de proximo: Quantò ſibi ſupremus Senatus ſpecialiùs mandatum eſſe iudicauerit animaduertere, ne quotquot ſunt homines malè ſibi cauti & plus æquo creduli, quales ſunt omnes medicinæ ignari, qui bona fide à falſis medicis, miniſtris, empiricis, & politicis iudicibus decipi ſolent, in ſanitatis & vitæ ſuæ pericula decurrant? Quis tam inhumanus, vt cùm viderit cæcos in præcipitia & laqueos ferri, non occurrat eis, non eos auertat & retineat?

Aleatoribus, nepotibus prodigis, decoctoribus, ganeonibus vt insanis interdicere solet Senatus bonorum suorum alienatione, interesse enim dicit Reip. ne quis sua re malè vtatur. Cùm ergo vix vllus sit tam benè sanus animo, vt vanis omnium pollicitationibus, maximè falsorum medicorum, ministrorum, empiricorum & iudicum politicorum, qui sese rebus & officiis medicis implicant, non credat iudicia esse vera, non auscultet, non voret, non ingerat arcana, specifica, occulta, magisteria, formalia innumera, pro antidotis salutaribus quibus capiatur & decipiatur, vt hamo piscis? Quantò magis vetabit ordo salutaris supremus, ne quis malè vtatur sua sanitate & vita per hausta specie medicinæ pharmaca & venena præsentia?

Quàm fuerit in omnem posteritatem supremis illis potestatibus Senatoriis gloriosum, istorum ignorantiam, imperitorum & maleficorum andaciam, temeritatem & impudentiam tam perniciosam à professione & castris medicis internis exterminauisse, à quibus strages densior occisorum quotidie cadit, quàm si publicâ licentiâ latronibus & sicariis viatores spoliandi & iugulandi permitteretur, cùm multo plures sint qui hodie secretis capiantur veneficis, quàm qui perigrinentur.

Quàm fuerit laudabilius integerrimo consessui Senatorio, tot incautis ægris & credulis religiosè proprio ex officio & amore prouidisse, quàm impensas ciuium sumptuosas & voluptuosas, mensarum, ædificiorum, vestium, curruum, intertexti byssi, & superfluitatum huiusmodi mundani luxus interdixisse? Et ex istis, quàm futura est ornatior, & splendidior gloria Senatoribus, quàm ex fascibus & purpura sua? Quàm fuerit iis honorabilius, medicinæ veræ ratio-

nali & medicis legitimis eius & naturæ ministris fidelibus atque magistris semper beneficis & salutaribus fauisse, iisque bene discendæ, docendæ, faciendæ, exercendæ & iudicandæ professionis medicinæ rationem antiquam, veritatem, methodum, fidem sanitatis innoxiè seruandæ, & morborum inculpatè curandorum gloriam restituisse; facultatibus suam doctrinæ puritatem & disciplinæ seueram & rectam obseruationem, familiæ vniuersæ medicæ suam iustam & æquam œconomiam non adulteratam, non claudicantem, non præuaricantem reddidisse, quàm ignorantiæ, imperitiæ, falsitatibus, erroribus, temeritati, audaciæ, dolis & fraudibus, impunitatibus mortiferis falsorum medicorum, ministrorum, & politicorum iudiciis licentiosis tam iniustis indulsisse?

Quàm sapienter & prudenter ab iis actum prædicabitur, liberalium hominum, quales sunt perfecti medici, liberales actiones & opera sua restitui liberalia, illiberalium, mercenariorum & mechanicorum sua reddi illiberalia, ignobilia, vilia & seruilia. Et quicquid per crassam ignorantiã, ignorantium ægrorum & astantium incautorum & credulorum nimium peccatur, culpæ annumerari: & ad affectatam malitiam proximè accedere aut eandẽ esse statuere? Sicque qui nesciuerint quæ scire debent, & fecerint quæ facere non debent, inter reos culpæ & pœnæ esse accensendos, & in eos pro criminum differentiis leuiùs aut seueriùs esse animaduertendum? Sic lege Aquilia sua medicos qui malè venam secuerint, teneri culpæ suæ pœnam æqualem subire; Sic qui equum aut quadrupedem duxerint quam regere non didicerit, iniuriam culpæ analogam aut ære, aut corpore persoluere? Quidni etiam qui medicinæ scientiam & disciplinam violant quam non didicerunt,

nec vllam tyrociniorum, ſtudiorum, exercitiorum & probationum, magiſteriorum, induſtriæ & peritiæ, conuenientem legem veris teſtimoniis adimpleuerunt, nec fidem vllam publicam dederunt, pari iuris ſeueritate, iniuriam ſanitatis læſæ & ereptæ vitæ, ære & corpore perſoluere decreuerint? Quidni qui ſanitatis & vitæ ſuæ copiam etiam ægri & aſtãtes deſperati & inſani faciunt, ſeſeque periculis manifeſtis tam liberè tam libenter exponunt, ſuæ etiam craſſæ ignorantiæ, temeritatis & deſperationis pœnas luant, ſaltem ære, ſi iam luerint corpore?

Quanta laus & gloria viros ſummos clarificabit, veris dominis, & peritis colonis ſua reſtituiſſe prædia medica, nunc aconitis & napellis, velut ſpinis & vepribus horreſcentia, plantis ſalutaribus ſterilia, infructuoſa, deſerta & culturæ manibus, ac reliquis idoneis inſtrumentis priuata: vt manibus honeſtis lætiùs omnia proueniant cùm curioſius fient?

Quanta acclamatio gratiarum & beneficiorum iis reddetur, medicinam non amplius eſſe velo ignorantiæ, errorum falſitatum, & fallaciarum obſcuratam fœdatam, deſpectam, infamatam, conculcatam & deiectam? per Arabum corruptiones & peruerſitates? per ſpagiricorum ſordes & quiſquilias? per magneticorum ineptias & figmenta? per virtutes magicas naturæ ſpecie & velo adumbratas? & per empiricorum arcanorum aucupia fallaciſſima? ſed totam eſſe ſuis iſtis impuritatibus defœcatam, veram, puram, caſtam redditam per ſupremi Senatus lydium lapidem, incerniculum, cribrum & aquam ſeparationis fortem, quâ ab adulterato & impuro arabico, empirico, paracelſico, hermetico, ſpagirico, ſemidogmatico, ſympathico & falſo miniſteriali & politico metallo, ſemper periculoſo, temerario, no-

xio, deleterio & sæpius funesto separata sit ?

Quanta laus & gloria referenda Regi Lud. XIII. Iusto, consistorianis & ordini senatorio, probrum obliuionis, incuriæ, & iniustitiæ regno pridem inustum iurisdictionis medicæ omissæ, nulli arti alteri negatæ, esse obliteratum ? & arti architectonicæ, cœterarum præstantissimæ esse hodie edicto regio & Senatusconsulto satisfactum ?

Quod nullæ deinceps amplius voces audientur & nullæ scriptæ sint amplius postulationum, supplicationum Hippocratis, Catonis, Plinij, Galeni, Cassiodori, Græcorum, Latinorum antiquorum, nullæ recentiorum aliarum gentium & maximè Gallorum Brissoti, Guidonis, Syluij, Fernelij, Riolani & aliorum egregiorum querimoniæ, exprobrantium nullam esse legem quæ puniat inscitiam capitalem, nullum esse exemplum vindictæ, falsos medicos experimenta per mortes agere, periculis hominum discere, in sola hac arte hominem occidere esse summam impunitatem, cuique se medicum professo facilè credi, cùm non sit in vllo mendacio periculum maius.

Non amplius eiulantium lamentationes effundi, clamores acres, & vociferationes tristes personare & lacrymosas querelas audiri vxorum plangentium præreptos sibi esse maritos, aut maritorum, sibi sublatas esse vxores, aut parentum extinctos sibi esse liberos, aut liberorum sibi ademptos esse parentes per veneficos, quos politici malè consulti, nullo discrimine & examine admiserint & introduxerint.

Quas demum gratulationes, quas panegericas laudes accinent, quas immortales gratias summis illis viris posteri omnes referent in sempiternum, quod bis mille abhinc annis, iustiores leges & iudices deficientes suos arti suffecerint proprios, peritos, & pro-

bos: à quibus ſana ſperentur in poſterum rerum & perſonarum medicarum iudicia, & lucida ſanitatis gaudia vitæ integræ tempora longa & fœlicia & renouatæ medicinæ ſolatia?

His ita expoſitis, quid eſt quod amplius poſſit Medicos rationales impedire, ne opus liberè procurent, obtineant & abſoluant, quod eos optare & velle & poſſe & debere demonſtratum eſt? an timebunt amplius vbi non eſt timor & vbi omnia ſunt tuta?

Audio tamen quoſdam adhuc meticuloſos dicere, velle quidem ſibi adiacere in hoc negotio peragendo, ſed nondum perficere integrè & fortiter ſibi dari, necdum adeſſe ſibi ea quæ expetunt & expectant, præſentia & opportuna tempora, per impedimenta, & obices falſorum medicorum, empiricorum, miniſtrorum, aulicorum & politicorum ſibi oppoſitos & interiectos, Valterij mortui ſucceſſores fiduciarios, qui eos remorentur. Licet enim mortua ſit in aula Regia mala beſtia, remanſit tamen in ea venenum, vt cùm ſuffocata & extincta eſt peſtis, ſeruatur adhuc in fomite contagij peſtilẽtis ſeminarium. Sic eorum remanet venenum contagioſum in ſinu eorum, quos beſtia in fronte, ſuo charactere, ad hominum ſanorum & ægrorum deſtructionem & exitium Valterius ſignauit, ad quos aulicum vulgus & politicum ἀπαίδευτον, animale totum & gentilitium potius quàm ſpiritale & illuminatum extulit & adorauit, quoſque nunc adhuc exaltat, adorat vt Machaonas & ſalutares Deos, qui nihil per rationem veram & certam artis notitiam, per cauſas generales & particulares metiri ſolent, ſed ferè ſemper quæ fortuitò, ſorte, & ex accidenti accidunt, per ſe fieri exiſtimant, ac ſi ſemper vera eſſent & perpetua; quæq;

opinione & ſpecie ſibi fingunt, re ipsâ & ſcientiâ eſſe certiſſima, quæque inſipientes obganniunt, eſſe ſapientum oracula; idem eſſe videri & eſſe; Hermocratem, qui ægros ſui memores in ſomniis enecabat, alterum eſſe Hippocratem credunt.

Quos idem ipſe Hippocrates intus & in cute nouerat, cùm dixit ſophiſtas omnes medicos & idiotas quoſvis vulgares laudare magis τὸ ξενοπρεπὲς καὶ τὸ ἀλλόκοτον, id eſt, quod nouum, inuſitatum, à ratione alienum, peregrinum & abſurdum (quod nondum ſciunt, an ſit verum & vtile) illudque anteponere ei quod eſt conſuetum, commune, vſitatum, rectum, ordinarium & manifeſtum, licet nouerint eſſe ſemper vtile & proficuum.

Adeò ſemper hoſpites ſunt proni potius ad fucos, ad faſtus, ad falſitates, ad fallacias, ad fumos, ad decipula, ad inanes promiſſiones (quibus ipſi capiantur & alios capiant) arcanorum & occultorum ſpecie præſtigioſa; Omittentes prorſus quæ neceſſaria ſunt omnia ad integram ſanitatem ſeruandam; & committentes omnia quæ faciunt ad eam deſtruendam, ad morbos generandos & augendos, nec non ad accelerandum interitum!: An non ergo (inquiunt medici rationales) non rectè ſapimus ex conſilio ſapientiſſimi D. Cancellarij anteà laudato, tacere adhuc, & expectare tempora, quibus ipſi ſuis propriis vitiis & maleficiis præcipites ruant & demergantur, periculoſa namque ſunt dubia & ſemper lubrica ignorantium aulicorum & politicorum geſta & veſtigia, ipſique ſuæ ruinæ tramites ſæpius contexunt & fabricant.

Nihilominus tamen idem ipſe P. M. qui fuit inuitatus à lectiſſimis collegis ſuis rationalibus, vt eodem ſecum zelo, amore, ſtudio, fide-

litate, votis, veritate, iustitiâ & æquanimitate erga scientiam humanæ corporeæ salutis rationalem & erga professionem medicam ferretur, quique in fidei testimonium, describi mala hæc curauit, quorum fuit testis occulatus & exactus obseruator per vniuersas regni partes, quæ abhinc 50. annis in hac vrbe & in aula & passim peracta sunt maleficia in professione medica, præter antiqua quæ breuiter ex aliquot monumentis collegit vt nemini inuisum esse debeat, si inuitatus à collegis, rationalium partes & personas communi nomine sustineat, & de iis non tantùm quæ legit & audiuit, sed etiam quæ vidit malè acta in sanitatis & vitæ hominum damna manifesta, præ aliis loqui & scribere possit, & qui germanus & vterinus αὐτοσύγγνητος frater eorum est prodeat strenuus & impauidus qui probra, contumelias & accusationes quas aulici & politici contra rationales & contra salutarem societatem & ordinem obijciunt refutet & destruat, meticulosorum corda confirmet, & eos ad salutaria & gloriosa opera cohortetur & secùm habeat συνεργοὺς vnanimes & infractos, quorum etiam se sponsorem & fideiussorem fidelitatis, fortitudinis & probitatis profiteatur.

Probra autem sunt hæc, nempe quòd diplomati, Regio iurisdictionis medicæ tam salutari quàm necessario, datâ operâ in senatu intercesserint & renunciauerint, quòd abhinc 40. annis tacuerint, nec causas oppositionis suæ ad senatum de industria referre & exponere voluerint, quòd vitiis & maleficiis antiquoribus & recentioribus suæ professionis assentiri & fauere potius, quàm eorum emendationem procurare & persequi malle se demonstrauerint, suam suæ conscientiæ & officij fidem fallere, munia, exercitia & opera sua medica semper abdicari

dicari & deſeri à ſe, ſilentij perpetui obliuioni conſecrari, & in propria cauſa præuaricari, grauiſſima damna, cœdes & veneficia ſanorum & ægrorum continua & perpetua nunquam intercipi & reſcindi; antiquum ignorantiæ, inertiæ, ignauiæ, incuriæ & ignobilitatis maiorum ſuorum morem & infamiam criminoſam & propudioſam in perpetuum ſeruari & retineri; operis tam ſalutaris & neceſſarij, tam propitiis auſpiciis inaugurati & quæſiti tot votis, perfectionem impediri, opportunitates toti familiæ medicæ & vniuerſæ hominum vtilitati & ſaluti fauentes & præſentes neglıgi ac prætermitti, imaginaria quædam impedimentorum figmenta, quæ facili negotio ſuperari poſſent, adamantina, indomita, impoſſibilia; æſtimari & proclamari, iudicia falſa, iniuſta de rebus, perſonis, actionibus & operibus ſuæ artis & profeſſionis ſemper reddi, ſtatuta rationi & vtilitati publicæ prorſus contraria & iniuſta nunquam abrogari, iuſtiora nunquam ſubrogari & reponi; commercia, concurſus & conſortia empiricorum, & falſorum medicorum & impoſtorum cum ægris in vrbibus, in noſocomiis & hoſpitiis, in caſtris & priuatis quibuſvis ædibus atque etiam nunc in aula eſſe libera & peruia, illicque impunè exerceri; conſueta, communia & frequentia morticinia & aſſidua continuari funera, opprobria, infamias, defectiones; crimina vitia & maleficia in hac profeſſione eſſe ſub modio tecta; antiquam medicinæ & medicorum rationalium gloriam & dignitatem in æternam obliuionem aboliri, medicos ſemper dormitare, & graui veterno ac torpore ἀναισθήσεως ἀκινησεως & ἀναλύσεως animi & corporis detineri & otio diffluere, nec ad curam & ſollicitudinem ſalutis, vitæ regum, principum, magiſtratuum, ſummorum, ordinum omnium & populorum

nullo amore & ſtudio commoueri, cauſas deiectæ & deſpectæ ſuæ medicinæ, & ſanitatis hominum deſtructæ nec non vitæ perditæ, quas Hippocrates certas reddidit, manere inemendatas, nec vllum dari locum vindiciis in veritatem in iuſtitiam, in libertatem artis & fœlicitatis, diuturnitatis, ſecuritatis & tranquillitatis humanæ ſanitatis & vitæ.

Sed probra hæc in veros & legitimos medicos rationales cadere non poſſe, nec trepidare, & formidare eorum eſſe proprium rationalium legitimorum, ſed illegitimorum tantùm, nomine, non re medicorum, ignorantium, imperitorum & malorum conſcientiæ ſuæ infirmitate laborantium, tepidorum, ſimulatorum, perſonatorum, ἀμφιβίων, quales ſunt ſemidogmatici, Arabiſtæ innumeri, demonſtramus; nequaquam verò ſapientum, peritorum & proborum fortitudinem, veritatem, fidelitatem, ſcientiam, peritiam, contumeliis politicorum & aulicorum offendi, nec vllo timore & terrore eorum agitari & auocari, vt ab operis incepti procuratione vllâ remorâ tarditatis retineantur.

Quia principes, inquit Apoſtolus, non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis non timere poteſtates? (inquit) fac bonum & habebis laudem ex illis; Dei enim miniſtri ſunt tibi in bonum: Si malum feceris, time, non enim ſine cauſa gladium portant, Dei enim miniſtri ſunt in iram & vindictam iis qui mala faciunt.

An verò excogitari poſſunt pernicioſiores quàm medici falſi politici & aulici, qui ſpecie boni, ſpecie veræ medicinæ rationalis, quam per cauſas neſciunt, nec vnquam didicerunt, eam tamen tam ignoranter, tam criminaliter, & tam funeſtè tractant & exercent? & cùm de rebus, perſonis & operibus medicæ pro-

fessionis,tam temerè & tam iniquè in hominum ruinam & perniciem iudicant?

An contra excogitari possunt meliores,quàm medici rationales veri, qui certa scientia & cognitione rerum medicarum per proprias causas, salutariter, vtiliter & verè quæ cognitione perceperunt, prædixerunt,præscripserunt &operati sunt per effectus verissima demõstrant, nec vnquam quempiam,qui sese dictis obtemperantem in omnibus præbuerit, circumueniunt? an homo propius ad Dei naturam potest accedere, quam salutem hominibus dando? an longius ab ea recedere, quàm specie recti mortem conferendo & fallendo? Quid conscientiam tam exhilarat quàm aheneus murus & æs triplex circa pectus, nihil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ? An sic ignari & mali qui timent omnia etiam quæ tuta sunt, & vbi non est timor, quia semper sunt conscij suæ infirmitatis & nequitiæ, culpæ & pœnæ semper comitis & consectariæ? potestates verò nempe Reges, principes & supremi magistratus, à Deo constituti vicarij humanæ tuendæ sanitatis & vitæ sicut præsules supremi salutis animarum procurandæ vicarij, iique ipsi à legislatoribus secularibus, nominati supremi populorum, communis incolumitatis custodes, quibus sunt rationales medici priuati in hoc ipsum munus & officium constituti subiecti vicarii proximi?

An inquam omnes hi ministri Dei possunt esse ignari & mali, vt sint timori mali operis? an non potius sunt sapientissimi & optimi Dei vicarii vt sint remuneratores operis boni,& vindices mali?

An supremæ potestates reguntur prauo ratiocinio, opinione & iudicio, qui sciunt vera à falsis, certa ab incertis,quæ per sunt ab iis quæ per accidens &for-

tuitò, quæque ſcientiâ & peritiâ,ab iis quæ ignorantia & temeritate geruntur,dijudicare? An ſic aulici & politici, falſi medici, empirici & miniſtri rerum, perſonarum, & operum medicorum prorſus ignari & mali, qui cùm ſint ſummis poteſtatibus ſubiecti timere eas debent, cùm ea temerè faciunt & iudicant quæ nec ſciunt nec didicerunt, nec ad ea nati ſunt, nec deſtinati,& de quibus mortiferè peractis grauiſſimè culpandi ſunt & ſeueriſſimè coram Deo & hominibus mulctandi & damnandi?

Qui cùm ſciant ſe ſecundum iuſtas & rectas leges & ſtatuta præſcripta ſtudiorum, tyrociniorum, interrogationum, reſponſionum, actuum, concertationũ, probationum, ſuffragiorum publicorum & priuatorum, circumſtantiarum, formarum & conditionum, naturæ, eruditionis, peritiæ exercitij, temporis, ſufficientis & loci ſtudiis apti, in academia ſeu ſchola celeberrima & famoſiſſima non fuiſſe promotos, ſed fauore aut rumore vulgi ignari rerum & perſonarum medicarum, vel emptitiis literis, aut mendicatis commendationibus, vel dolis, artibus malis & modis fallendi innumeris, fuiſſe ad famam aliquam existimationem accidentariam & indirectam, vel ob morborum aliquem in nobili perſona φθεγγώδη ex accidenti ſanatum, fuiſſe eleuatos? quis non dixerit eos in aſſiduo verſari metu, ne aulicæ illæ aut politicæ ſupremæ poteſtates & potiſſimum Regiæ à probis & peritis,de eorum ignorantia, falſitatibus, erroribus & fraudibus melius inſtructæ, pro audacia & temeritate abutendi medicina rationali quam non didicerunt, facilitatem, credulitatem earum circumueniendi & in vitæ diſcrimen adducendi,quarum naturam & temperimentum noſſe non potuerunt,non aſſiduè reformident, ne tamdiu & toties miſerè de-

fusæ tandem in eos seuerè animaduertant? ne quemadmodum ius agendi in eos medicos ignaros qui malè venam secuerint concedunt, cur multò magis non sint castigaturi eos qui malè remedia præscripserint, quibus aut sani in morbos inciderint, aut ægri in interitum præcipitati sint?

Cur non metuerint, ne quod olim Monspelij obseruari solitum erat, in vsum reuocetur? vbi si quis horum nebulonum se medicum mentitus esset, mox raptus in asinum strigosum & si inuentus esset scabidum, sublimis tollebatur, auersus vrbe tota circumducebatur, scommatis vndique incessebatur, conspuebatur, pulsabatur, lacerabatur, sordibus omnis generis conspurcabatur, ceu olim sacra illa massiliensium victima, postremo expiata vrbe eiiciebatur, illuc nunquam rediturus nisi malo suo maximo? Quidni quod olim desiderabat Syluius, legibus etiam hodie licuerit, sacris maiestatibus pariter atque populis tam insolenter, frequenter & continenter hocce tempore delusis deceptis & interfectis?

Aut si mitiùs quispiam agi cum eis velit. Quidni saltem ij ad suos iudices rerum & personarum gnaros & peritos remiserint vt leprosos olim qui eos examinauerint, & leprosos à non leprosis discriminauerint; aut ad synagogam medicam Paris. velut ad piscinam probaticam, aut ad aquas syloë, in quibus benè loti, mersi, tersi, pexi, mundati probentur? vt si eruditi, periti, nati & apti medicinæ probè exercendæ apud omnes infimos, medios & supremos iudicentur, cum laude & honore recipiantur? Sin minùs si ignorantes & imperiti ἑκόντες reperiantur grauissimè flagellis, cædantur, candente ferro insigniantur & extra fines regni relegentur, aut laqueo suspendantur, aut in profluentem demergantur, si ignari

ἀκοντις, quia crassa ignorantia non caret culpa nec venia digna est, leuiore tamen pœna puniantur.

An ergo rationales medici sapientissimi, prudentissimi & optimi metuerint potestates supremas in operibus quæ ex eorum consilio & mandato rectè peragunt? & formidabunt aulicos & politicos qui opera edunt morte expianda, aduersa rationi, scientiæ, veritati, iustitiæ & iudicio?

Deponunt ergo rationales metum omnem & in politicos, aulicos, rerum & personarum medicarum inscios pariter ac falsos medicos, Semidogmaticos, Arabistas, empiricos & id genus impostores proprium reiiciunt, vt criminum, malorum suorum operum, culpæ & pœnarum terroribus dies noctesque torqueantur; Rationales verò in suis bonorum operum laudibus & remunerationibus collætentur, cùm sint soli cum supremis maiestatibus & potestatibus in officio particulari tuendæ regum, principum, magistratuum & populorum omnium sanitatis & vitæ arctissimè coniuncti & vniti; quarũ suprema authoritate ministeriali à Deo damnarentur, si in redenda suæ vilicationis & officij particularis ratione, veritatis declarandæ & operæ præstandę, seu exercendæ professionis in vtilitate iustria & fidelitate deficerent, aut si metu vllo, in peragendo suo opere, vbi nullus esse debet, aliquantulum tardarent & morarentur.

Ac propterea hæc causa est cur P. M. qui firmissimis nexus est & sociatus vinculis cum lectissimis suis rationalibus collegis, cum se & eosdem videret à Deo & à supremis maiestatibus & magistratibus in statione publica & priuata excubiarum & vigiliarum sanitatis & vitæ regum & populorũ custodes fidelissimos collocatos, priuatam vero particularẽ & præci-

...npsum curam et sollicitudinem sibi et rationalibus medicis
...e inquisitam et diligentissime curent ne quid in suo munere
...icio et professione fiat ignorantia, erroribus et pravitatibus ullis
...statim supremis potestatibus, [illegible] et instructibus prioribus
...detegerent et declararent ipsique propria et convenientia
...remedia detur [illegible] et prophylactica. —

Rationales ergo simul juncti medici tandem amplius [illegible]
...sed declarare, [illegible] et potestate [illegible] quod de
...eruerunt cum bonis sacrilegiis, ne mora longius producta
...que atque criminis diutius protracta in humanum dispendia
...vos verent auctoritatem. — — —

Eos   utrosque in politicos aulicos et falsos medicos
...spectant et prosequuntur exquisitissime non dubitarunt.

Cumque inventis et [illegible] vera, certa, certa et justa
...dicina a [illegible] cognitione vera causarum personati, post
...eos in [illegible] exponerent, iisdem sine quoque remedia
...constituerunt. — — —

...falsitate quidem primum fuit rationales medici per inqui-
...n, insidiam et judiciorum   [illegible]
...n, [illegible] contestatos, maxime vero per illustrissimi D.
...s [illegible] [illegible] et [illegible] plenissimum juris
...[illegible] [illegible] benevolentia demonstratione [illegible]
...e simul [illegible] [illegible] [illegible]   [illegible]
...ntissima et [illegible] [illegible] medicum rationali

post ingerendum [illegible] medicum [illegible]
...ntes [illegible] adversum omnia in professione et in [illegible]
...in foro [illegible] et [illegible] gravi injuria [illegible]
...[illegible] [illegible] [illegible] expecti [illegible]
...[illegible] [illegible]   adversus illum Goliam Philistinum
...[illegible] vixit
...llis [illegible] sunt sed [illegible] postquam vero
...viderent [illegible] absolute et vita, maxime quidem [illegible]
...[illegible] ostendere de [illegible] hominum [illegible]
~~qui [illegible] [illegible]~~

tot damna publica et privata hominibus et arti salutari attul-
ont in dies adferet deteriora per suos successores fiduciarios
ipsi simillimos, ~~quiquando ... et ... dilettalia~~ et per eorden
tortra (?) sani dogmaticorum, ~~Hypolitorum~~, empiricorum, pell-
carum et aulicorum licentiā in aulā, in regi-
in urbe, inque universo regno grassantium circumfertur et
cumularetur fragrantior, continere se non potuerunt, quin
postea aiola (?) professoribus per eorum spiritu et delectu et
per effectus suos probata, silentii sui, et loquelarum ...
et propagationum fingerent et augerent inque ores et damna
compararent, atque omni deposito metu, communi
consensu professorum medicae auctore evidenter et
evidentius, communque causas ambiguas et antiquas
nationis, ingenuas ~~et adventitias~~, inveteratas et ...
iis que convenientia sua remedia therapeutica et
prophylactica toties proposita renovarent, et ad
aures omnium resonarent, obiissis Regiae jurisdi-
tionis, medicae necessitate spernenda; potiorem ...
et tutamini (?) communium ~~esse~~ sibi duxerunt ultra
differre, diutius silere, aut conqueri, in tantis pericul-
non solum incisionis (?), et modo tam potentias, tam
urgentia et tam horrenda discrimina quae potius
etiam patriae urgentiora portendunt et minantur
tia et omnibus clades et excidia: cumque sit com-
solum quibus est cognita morborum species et natura,
causarum externarum et internarum vitas (?) et pro-
~~... etiam eventus providere et praedicere ...~~
~~... et quibus ... thera (?) ...~~
etos, cum etiam eventus providere et praedicere et qui
eorum

eorum medendi methodus & ratio deſignare,ſitque rationalibus peritis & probis medicis ex officio,ex ſcientia & conſcientia ſua ea recenſere, capitale verò & pœna ſęculari & æterna piandum ſcelus ea reticere,reiectis impedimentis quæ meticuloſiores quidam aut maligniores & præuaricatores ſibi fingunt aut ſimulant inſuperabilia : peritis & probis ſimul in bonum publicum ſalutis & vitæ, atque ſalutaris profeſſionis concurrentibus & conſpirantibus communi voce,ſuffragiis & inſtantiis ad bonum publicum ſalutis & vitæ,viſum eſt iuſtiſſimum monere omnium ſupremas Majeſtates & poteſtates magiſtrales primas harum ſphærarum inferiorum motrices,regum populorum tutrices,curatrices, rerum & regni moderatrices ſapientiſſimas & iuſtitiæ diſpenſatrices integerrimas,& prudẽtiſsimas,hoſtes habere muros,cõſcendere & tenere diſtrictos enſes manibus ſuis quos in fauces,in corda, & pectora Regum, Principum, Magiſtratuum ſummorum & populorum contorqueant,lupos intraſſe in caulas & in aulas, in vrbes, in ceſtra,in hoſpitia, in publicas ædes & priuatas vt paſtores iugulent & oues deuorent.

Rationales medicos ſpeculatores, exploratores & excubitores voces altas emittere, & occinere tubâ vt omnes expergeſiant,ſibique caueant;poſtulare vt pateant vocibus ſuis aditus in adyta intima & ſacra tribunalia juſtitiæ,vbi Themidis tractantur myſteria & vnde redduntur diuina & humana decretorum oracula, obnixè obſecrare vt aures ſuas ad buccinas & clamores eorum aperiantur à quibus obtineant duplex Senatuſconſultum.

Quorum priore iubeatur facultas per Decanum, etiamque reliquæ Regni, niſi Pariſina inſtar omnium Senatui ſufficiat ſola, conuocare trinâ congregatio-

ne medicos ſuos, vt cauſis omnibus, quæ hiſce commentariis enarrantur, diligenter examinatis, Regiæ iuriſdictionis medicæ neceſsitas, velut analogum maleficiis tollendis remedium definitum communi conſenſu declaretur, ſubſignetur & concludatur; vt in omnibus articulis (quorum exemplar ſpecimen & formula exhibebitur) recognita, retexta & reformata ad Senatum referatur & altero Senatuſconſulto probetur & promulgetur.

Sicque opus tam neceſſarium & tam expetitum ad omnium ſalutem & vitam, Regum, Principum, ſummorum virorum & inferiorum, & ad artis ſalutaris & rationalis gloriam perficiatur. Quo omnes quotquot ſunt in ſanitatis & vitæ diſcrimine vindicabuntur; omnia quæcumque politica & aulica licentia, vitia, maleficia, & crimina permiſit & de rebus, perſonis & operibus medicis praua iudicia tulit intercipientur; inſidioſa & mortifera falſorum medicorum arcana occulta & ſpecifica oblegabuntur; falſa, erronea, fallacia, fraudulenta remedia delebuntur, iuſta, vera, neceſſaria & ſalutaria ſola ſubſtituentur & vſurpabuntur, iniuſta omnia vetera & noua exulabunt, doctrinæ corruptio & diſciplinæ ſubuerſio ac deprauatio omnis emendabitur. Quicquid ægris inutile, periculoſum, noxium & funeſtum reijcietur, quicquid defectuoſum eſt & omiſſum ſupplebitur, quicquid vtile, verum, certum, rectum & iuſtum, renouabitur & regenerabitur. Quæcumque inconſultè & ignoranter inſtituta, interdicta & inſinuata, praua, peruerſa, indecora, ſuperſtitioſa, vana, inutilia, corporis & animi ſanitati inſidioſa, iniurioſa & damnoſa, conſeruationi & curationi aduerſa reprobabuntur, quæcumque ſanitiati & vitæ, ſanorum & ægrorum vtilitati & commodis non ſunt conue-

nientia, & conſpirantia reſcindentur.

Quæ Senatus malè de rebus informatus à malè ſanis antiquis magiſtris & miniſtris velut iuſta probauit hodie melius inſtructus abrogabit.

Quæcumque litigioſa & contentioſa in architectonica arte & profeſsione, non amplius indirempta ad annum centeſimum differrentur, ſed à peritis artis & probis definientur & terminabuntur, & à Senatu confirmabuntur.

Quæcumque vis maior iniuſtitiæ aulicæ & politicæ publica & priuata violauit, abſtulit, abripuit, reſtituentur.

Quæcumque in inſtituendis, erudiendis, formandis, probandis & creandis neophytis legitimis, ſtatuta, leges & conditiones neceſſariæ antea ſunt omiſſæ, hodie per omnes regni ſcholas ſeu facultates, ſimili modo & ratione, rigore & ſeueritate ad communem hominum omnium ſanitatis & vitæ conſeruationem, perennitatem, fœlicitatem, & perpetuam artis rationalis & ſalutaris gloriam inuiolata ſeruabuntur.

Sicque ſupremi iuris & iuſtitiæ antiſtites & anteceſſores cùm ſic fuerint de bono publico per ordinem rationalium medicorum melius, verius & certius quàm anteactis temporibus informati, eorum ſententias amplectentur, iiſque ſubſcribent: ne ſanguis ſanorum & ęgrorum, quos falſę curationes medicorum falſorum & falſa iudicia ac temeraria politicorum & aulicorum incautos deinceps de facie terrę eriperent, in eorum capita & vindictam irę Dei recideret, veritatem hanc in iniuſtitia ſcientes & prudentes retinerent.

Confirma Deus hoc quod operatus es in nobis.

ERRATA.

Pag. 6. ligne 15. *ostez* incarnat replet agglutinat.
Pag7.. lig. 12. eas *non* eos.
pag. 8. lig. 25. verum *non* rerum.
pag 9. lig. 28. *apres* recedere ?
pag. 12. lig. *derniere* ea capit.
pag. 14. lig. 2. dexteritatem assequi.
pag. 16. lig 14. non sint.
p. 26. lig. 30. & *apres* documenta.
p. 27. lig. 7. rationis suæ. lig. 22. *effacez* est.
p. 45. lig. 4, parcius adhuc.
p. 45. lig. 10, malo *non* malè.
p. 45. lig. 15. *effacez* vasa.
p. 45. lig. 21. metuitur.
p, 48. lig. 4. biliosis, sanguineis.
p, 48. lig. 21. adipiscuutur. lig. 22. *ostez* axioma est vsitatum omnibus.
p. 49. lig. 20. *apres* prosequantur ?
p. 50. l. 2. *effacez* aut. lig. 18. istis solus opus est medicis *adiousté*. lig. *penult. à la fin* ?
p, 51. l. 10. nullis *non* multis lig. 14. ab his alia. lig. 15.
p. 55. l. 5. Quid.
p. 60. l. 15. diuersitatem.
p. 71. l. 4. ἐκτέμνειν ἐπεὶ ἦπα
p. 81. *ostez* ἔχοντες
p 87. l. 7. impetentem. l. 10. *ostez* se. l. 22. *ostez* diligentius.
p. 108. l. 13. sui *non* suos.
p. 119. l 26. *ostez* in *& laissez* eruditi.
p. 111. l. 29, aliena *ostez* 5
p. 123. l. 5. sufficeret.
p. 124. l. 31. ignauos fucos.
p. 126. l. 13. ?
p. 145. l. 15. *ostez* imperatores, italos *mettez* principes.
p. 165. l. penult. *ostez* quæ.
p. 168. l. penult. *ostez* &
p. 169. l. 13. *mettez* per. l. 21. *mettez* non.
p. 171. l. 15. qua *pour* quæ.
p. 173. l 9. ? *ostez* &, *& mettez* ac.
p. 174. l. penult. a *pour* c.
p. 184. l. *derniere ostez* hanc.
p. 225, l. 17. *ostez* p. & *mettez* r.
p. 196. l. 13. *ostez* Galenum, *& mettez* apud authores.
p. 194. l. 22. *au lieu du deuxiéme* occulta, *mettez* ἀμέθοδα.
p. 193. l. 22. ατγε
p. 228, l. 9. quæ pro vno.

p.229. l.1. *ostez* sint *mettez* essent. l.30. *mettez* fit.
p.231. l.20. *en gros chiffre* 2000. l.23. introduxere.
p.133. l.15. *mettre* vt.
p.137. l.3. *apres* inuitus *mettez* voluerit, intra se tamen ista detestari.
p.227. l.2. *apres* voluit? *mettez* an non. l.14. *apres* habitant *mettez* esse voluit.
p.232. l.5. *mettez* in ratiociniis.
p.233. l.14. *mettez* vt. & l.26. inepti enim essent.
p.236. l.4. *mettez* esse prorsus. l.30. dicant.
p.237. l.31. conseruatio?
p.239. l.15. *mettez* non quærere.
p.248. l.17. materiæ *non* &
p.250. l. penult. Regi.
p.253. l. *derniere* sex mille.
p.259. l.5. *ostez* &.
p.262. l.15. *mettez* à filio.
p.264. l.18. ἀμέθοδα.
p.271. l.6. quæ. l.7. *ostez* suo. l.9. *ostez* medicus.
p.277. l.24. *ostez* instituit & *mettés* voluit.
p.290. l.10. *ostez* eorum. p.291. l. *derniere adioustez* se.
p.291. l.32. & opinione. l.33. *ostez* & iudicio. l.34 per se.
p.293. l.25. *au lieu* aut *mettez* hoc est. l. *derniere*? *deuant* si ignari.
p.297. l.21. castra. l.29. obtineantur.
p.298. l.4. definitum vnicum.
p.299. l. penult. si veritatem

Il y a icy au dos de mon exemplaire une note écrite à la main tres difficile à dechiffrer et dont voici la copie! —

humanum est peccare, sed diabolicum volentem in ignorantiâ, erroribus et peccatis perseverare. Ergo confitenda tandem sunt judicanda, abjuranda et castiganda, ignorantia, errores, vetera, nova, et universa particularia, si volumus a Deo et ab hominibus judicari et damnari per secula sempiterna; si namque non judicaverimus, non utique judicabimur. Salus aut perditio nostra in manibus nostris est; via ad bonum aut ad malum in conspectu nostro. Vae ei qui declinaverit à bono ut divertat ad malum.